ΦΙΛΟΜΑΘΙΑΣ
ΤΑ. ΣΠΟΡΑΔΗΝ. Β.

MISCELLANEAE
DOCTRINAE

LIBER SECUNDUS.

Οὐ παύσομαι τὰς χάριτας
Μούσαις συγκαταμιγνὺς,
Ἡδίσταν συζυγίαν.

EVRIPIDES.

AMSTELODAMI,
APUD PETRUM DEN HENGST ET FIL.
MDCCCXI.

ANECDOTA.

ΜΟΥΣΩΝΙΟΥ.

ἐκ τοῦ, ὅτι οὐ δεῖ πολλαῖς ἀποδείξεσι πρὸς ἓν πρᾶγμα χρῆσθαι.

Λόγου δέ ποτε γενομένου περὶ ἀποδείξεων, ἃς χρὴ ἀκούειν τοὺς νέους παρὰ τῶν φιλοσόφων πρὸς κατάληψιν ὧν μανθάνουσιν, ἔφη ὁ Μουσώνιος, οὐχὶ πολλὰς ἐφ' ἑκάστου πράγματος ζητεῖν ἀποδείξεις (a) προσήκειν, ἀλλ' ἀνυσίμους καὶ ἐναργεῖς. Οὔτε γὰρ ἰατρὸς, ἔφη, ἐκεῖνος ἐπαινετὸς ὁ φάρμακα πολλὰ προσφέρων τοῖς νοσοῦσιν, ἀλλ' ὁ δι' ὀλίγων ὧν προσφέρει ὠφελῶν· οὔτε φιλόσοφος ὁ διὰ πολλῶν ἀποδείξεων διδάσκων τοὺς ἀκούοντας, ἀλλ' ὁ δι' ὀλίγων ἐπάγων αὐτοὺς ἐφ' ὃ μέντοι (b) βούλεται· καὶ ὁ ἀκουστὴς ὅσῳπερ ἂν ᾖ συνετώτερος, τοσούτῳ μειόνων δεήσεται τῶν ἀποδείξεων, καὶ τοσοῦτον θᾶττον συναινέσει τῷ κεφαλαίῳ τοῦ λόγου, ὄντι γε ὑγιῶς (c). ὅστις δὲ πανταχοῦ δεῖται ἀποδείξεων, καὶ ὅπου σαφῆ τὰ πράγματά ἐστιν, εἰ διὰ πολλῶν αὐτῷ ἀποδείκνυσθαι βούλεται τὰ δι' ὀλίγων δυνάμενα, παντάπασιν ἄτοπος καὶ δυσμαθής. Θεοὺς μὲν οὖν οὐκ (d) εἰκὸς οὐδεμιᾶς ἀποδείξεως δεῖσθαι πρὸς οὐδὲν, ὅτι μήτε ἀσαφὲς μήτε ἄδηλόν ἐστιν αὐτοῖς μηδέν· πρὸς μόνα δὲ τῶν ἀποδείξεων (*)· τοὺς

δὲ ἀνθρώπους ἀνάγκη τὰ μὴ φανερὰ μηδ' αὐτόθεν γνώριμα (e) διὰ τῶν φανερῶν καὶ προδήλων ζητεῖν ἀνευρίσκειν, ὅπερ ἔργον ἀποδείξεως ἐστιν. Οἷον, ὅτι ἡδονὴ οὐκ ἔστιν ἀγαθὸν, αὐτόθεν μὲν οὐ δοκεῖ γνώριμον εἶναι, ἐπείπερ ἔργῳ προσκαλεῖται ἡμᾶς, ὡς ἀγαθὸν οὖσα, ἡ ἡδονή. λαβόντος δέ τινος λῆμμα γνώριμον τούτῳ (f) τὸ πᾶν ἀγαθὸν αἱρετέον εἶναι, καὶ προσλαβόντος ἕτερον γνώριμον τούτῳ τὸ τινὰς ἡδονὰς οὐχ αἱρετέον (†) εἶναι, ἀποδεικνύομεν τὸ μὴ ἀγαθὸν εἶναι τὴν ἡδονὴν (g), διὰ τῶν γνωρίμων τὸ μὴ γνώριμον. Πάλιν ὡς ὁ πόνος οὐκ ἔστι κακὸν, αὐτόθεν μὲν οὐ φαίνεται πιθανόν· τοὐναντίον γὰρ τούτου φαίνεται πιθανώτερον, τὸ κακὸν εἶναι τὸν πόνον· τεθέντος δὲ φανεροῦ λήμματος τοῦ πᾶν τὸ κακὸν φευκτὸν εἶναι, καὶ προστεθέντος αὐτῷ φανερωτέρου, τοῦ πόνους πολλοὺς οὐκ εἶναι φευκτοὺς, περαίνεται (h) τὸ μὴ κακὸν εἶναι τὸν πόνον. Τοιούτου δ' ὄντος τοῦ γένους τοῦ τῆς ἀποδείξεως, ἐπειδὴ τῶν ἀνθρώπων οἱ μὲν ὀξύτεροι οἱ δ' ἀμβλύτεροί εἰσι, καὶ οἱ μὲν ἐν ἔθεσι κρείττοσι, οἱ δὲ ἐν χείροσι τεθραμμένοι, οἱ μὲν ἤθους (i) καὶ φύσεως ὄντες χειρόνων, πλειόνων δέοιντ' ἂν ἀποδείξεων καὶ πραγματείας μείζονος, ὥστε δέξασθαι ταυτὶ τὰ δόγματα καὶ τυπωθῆναι (††) κατὰ ταῦτα, καθάπερ οἶμαι καὶ τὰ πονηρὰ τῶν σωμάτων, ὁπόταν μέλλοι κακῶς (**) ἕξειν, πάνυ πολλῆς ἐπιμελείας δεῖται· ὅσοι δὲ τῶν νέων εὐφυέστεροι καὶ ἀγωγῆς

γῆς μετεσχηκότες κρείττονος, οὗτοι ῥᾷόν τε καὶ θᾶττον καὶ δι' ὀλίγων ἀποδείξεων συναινοῖεν ἂν τοῖς λεγομένοις ὀρθῶς καὶ ἀκολουθοῖεν. Ὅτι δ' οὕτως ἔχει ταῦτα γνοίημεν ἂν ῥᾳδίως, εἰ νοήσαιμεν μειράκιον ἢ νεανίαν, τὸν μὲν ἐν τρυφῇ πάσῃ τεθραμμένον καὶ τό, τε σῶμα τεθηλυμένον καὶ τὴν ψυχὴν ἐκλελυμένον ὑπὸ ἐθῶν ἀγόντων εἰς μαλακίαν, ἔτι δὲ νωθῆ παρεχόμενον (*k*) καὶ δυσμαθῆ τὴν φύσιν· τὸν δὲ αὖ λακωνικῶς πως ἠγωνισμένον (*l*) καὶ τρυφᾶν οὐκ εἰθισμένον, καὶ καρτερεῖν μεμελετηκότα, καὶ τῶν λεγομένων ὀρθῶς εὐήκοον ὄντα· εἶτα τοὺς δύο τούτους νεανίας εἰ θείημεν ἀκούοντας φιλοσόφου λέγοντος περὶ θανάτου, περὶ πόνου, περὶ πενίας, περὶ τῶν ὁμοίων, ὡς οὐ κακῶν ὄντων· πάλιν δ' αὖ περὶ ζωῆς, περὶ ἡδονῆς, περὶ πλούτου, περὶ παραπλησίων τούτοις, ὡς οὐκ ἀγαθά ἐστιν, ἆρά γε ὁμοίως ἄμφω προσήσονται τοὺς λόγους, καὶ παραπλησίως ἑκάτερος πίθοιτο τοῖς λεγομένοις; οὐκ ἔστιν εἰπεῖν (*m*). ἀλλ' ὁ μὲν μόγις καὶ βραδέως καὶ ὥσπερ μοχλευόμενος (†††) ὑπὸ μυρίων λόγων τάχ' ἂν ἐπινεύσειεν ὁ νωθέστερος· ὁ δ' αὖ ταχέως καὶ ἑτοίμως δέξεται τὰ λεγόμενα ὡς οἰκεῖα καὶ προσήκοντα αὐτῷ, μήτε ἀποδείξεων δεόμενος πολλῶν, μήτε πραγματείας μείζονος. (*n*) Ἦ ὁ τοιοῦτος παῖς ἐκεῖνος ὁ Λάκων, ὃς Κλεάνθην τὸν φιλόσοφον ἠρώτησε εἰ ἀγαθὸν ὁ πόνος ἐστίν· οὕτω γὰρ ἐκεῖνος φαίνεται φύσει πεφυκὼς καλὸς καὶ τεθραμμένος πρὸς ἀρετήν,

 ὥστε

ὥστε ἔγγυον νομίζειν εἶναι τὸν πόνον τῆς τ᾽ ἀγαθοῦ φύσεως καὶ τῆς τοῦ κακοῦ· ὥστε ὡς ὁμολογουμένου τοῦ μὴ κακὸν ὑπάρχειν αὐτὸν ἢ ἀγαθὸν, τυγχάνει ὧν ἐπυνθάνετο. Ὅθεν καὶ ὁ Κλεάνθης ἀγασθεὶς τοῦ παιδὸς εἶπεν ἄρα πρὸς αὐτὸν, (o) Αἵματος εἶς ἀγαθοῖο, φίλον τέκος, οἷ᾽ ἀγορεύεις. Πῶς οὖν ὁ τοιοῦτος οὐ ῥᾳδίως ἐπείσθη ἂν μήτε πενίαν, μήτε θάνατον δεδιέναι, μήτ᾽ ἄλλο μηδὲν τῶν δοκούντων φανερῶν (p), μήτ᾽ αὖ διώκειν πλοῦτον, ζωὴν, ἢ ἡδονήν;

Ἵνα δὲ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐπανέλθω τοῦ λόγου, φημὶ δεῖν τὸν διδάσκαλον τοῦ φιλοσόφου μὴ λόγων πλῆθος μήτ᾽ ἀποδείξεων ζητεῖν διεξιέναι πρὸς τοὺς μανθάνοντας, ἀλλὰ καιρίως περὶ ἑκάστου λέγειν καὶ καθικνεῖσθαι τῆς διανοίας τοῦ ἀκούοντος, καὶ **** (q) στικὰ εἶναι λέγειν καὶ ἀνατραπῆναι μὴ ῥᾴδια· καὶ μάλιστά γε τῷ παρέχειν αὐτὸν περί γε τῶν χρησιμωτάτων λέγοντα, καὶ ὁμολογούμενα οἷς λέγει πράττοντα, τούτῳ μεταχειριζόμενον τοὺς ἀκούοντας· τὸν δὲ μαθητὴν ἐντετάσθαι πρὸς τὰ λεγόμενα, καὶ σκοπεῖν μὲν ὅπως μὴ λάθῃ ψεῦδός τι παραδεξάμενος· τῶν δὲ ἀληθῶν μὴ μὰ Δία πολλὰς ζητεῖν ἀποδείξεις ἀκούειν, ἀλλ᾽ ἐναργεῖς· καὶ ἅπερ ἂν πεισθῇ τῶν παραινουμένων ἑαυτῷ εἶναι καὶ ἀληθῆ, τούτοις ἐπακολουθεῖν ἐν τῷ βίῳ. Οὕτω γὰρ μόνως ἔσταί τις ἐκ φιλοσοφίας ὠφελημένος, ἂν οἷς παραδέδεκται λόγοις οὖσιν ὑγιέσι τὰ ἔργα παρέχηται συνῳδά.

ΑΥ-

ΛΥΚΙΟΥ

ΕΚ ΤΩΝ

ΜΟΥΣΩΝΙΟΥ. (a)

πότερον ἰσχυρότερον, ἔθος ἢ λόγος.

Αὖθις ἐνέπεσε μὲν (b) ζήτησις πότερον ἀνυσιμώτερον πρὸς κτῆσιν ἀρετῆς, ἔθος ἢ λόγος, εἰ μὲν ὁ λόγος διδάσκει (c) ὀρθῶς τί εἴη πρακτέον, τὸ δὲ ἔθος γένοιτο κατὰ τοιοῦτον λόγον πράττειν ἐθιζομένων. (d) Τῷ δὲ Μουσωνίῳ τὸ ἔθος ἐδόκει ἀνυσιμώτερον, καὶ συνήγορον τῇ ἑαυτοῦ δόξῃ ἤρετο τῶν παρόντων τινα. (e) Οὕτως δυοῖν ὄντοιν ἰατροῖν, τοῦ μὲν ἱκανοῦ λέγειν καὶ περὶ τῶν ἰατρικῶν ὥρα (f) ὅτι ἐμπειρότατον, περὶ δὲ θεραπείας τῶν καμνόντων μηδὲ τετριμμένου· τοῦ δ' εἰπεῖν μὲν ἀδυνάτου, θεραπεύειν δ' εἰθισμένου κατὰ τὸν λόγον τὸν ἰατρικόν· πότερον, ἔφη, μᾶλλον ἕλοιο ἂν παρεῖναι σοὶ νοσοῦντι; Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο τὸν θεραπεύειν εἰθισμένον. Καὶ ὁ Μουσώνιος· Τί δέ; δύο ἀνδρῶν τοῦ μὲν πεπλευκότος πολλάκις, καὶ κυβερνήσαντος ἤδη οἷα (g) ἱκανὰ, τοῦ δὲ ὀλιγάκις μὲν πεπλευκότος, κυβερνήσαντος δὲ μηδέποτε·

ἐὰν οὗτος ὁ μὴ κυβερνήσας ἱκανώτατον λέγει (*) ὃν τρόπον χρὴ κυβερνᾷν, ὁ δ' ἕτερος ἐνδεῶς καὶ παντάπασιν ἀσθενῶς, ποτέρῳ ἂν πλέω χρησ** (h) κυβερνήτῃ; Καὶ ὁ (i) εἶπε, ὅτι τῷ κυβερνήσαντι πολλάκις. Πάλιν ὁ Μουσώνιος· Μουσικοῖν δὲ δυοῖν, τοῦ μὲν τοὺς λόγους ἐπισταμένου τοὺς μουσικοὺς, καὶ λέγοντος αὐτοὺς πιθανώτατον (k), ᾄδειν δὲ καὶ κιθαρίζειν καὶ λυρίζειν ἀδυνατοῦντος· τοῦ δὲ περὶ μὲν τοὺς λόγους ὄντος ἥττονος, κιθαρίζοντος δὲ καλῶς καὶ λυρίζοντος ἔτι δὲ ᾄδοντος; ποτέρῳ ἂν ἐπιτρέψαι (l) ἔργον μουσικὸν, ἢ πότερον ἂν ἐθέλοις γενέσθαι διδάσκαλον τῶν μουσικῶν παιδὸς οὐκ εἰδοι (m). Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο, τὸν ἐν τοῖς ἱκανόν (n). Τί οὖν, εἶπεν ὁ Μουσώνιος, ταῦτα μὲν ταύτῃ ἔχει· περὶ δὲ σωφροσύνης ἢ ἐγκρατείας τοῦ ἃ χρὴ δύνασθαι λέγειν οὐ πολὺ κρεῖττον τὸ ἐγκρατῆ γενέσθαι καὶ σώφρονα περὶ τὰ πραττόμενα πάντα; Συνεχώρει κἀνταῦθα ὁ νεανίσκος, ἧττον καὶ φαυλότερον εἶναι τοῦ σωφρονεῖν ἔργῳ, τὸ λέγειν περὶ σωφροσύνης ἱκανῶς. Ὅθεν ὁ Μουσώνιος συνάπτων τοῖς προειρημένοις, πῶς οὖν ἐπὶ τούτοις, ἔφη, τὸ τὸν ἑκάστου λόγον ἐπίστασθαι πράγματος κρεῖττον ἂν εἴη τοῦ ἐθίζεσθαι καὶ πράττειν τὰ πράγματα κατὰ τὴν ὑφήγησιν τοῦ λόγου; ἐπείπερ τὸ μὲν ἔθος πρὸς τὸ δύνασθαι πράττειν ἄγει, τὸ δὲ ἐπίστασθαι λόγον τοῦ πράγματος πρὸς τὸ δύνασθαι λέγειν. συνεργεῖ μὲν γὰρ καὶ τῇ πράξει ὁ λόγος διδάσκων ὅπως πρακτέον, καὶ

ἔστι

ἔστι τῇ πράξει (o) πρότερος τοῦ ἔθους· οὐ γὰρ ἐθισθῆναί τι καλὸν οἷόντε μὴ κατὰ λόγον ἐθιζόμενον· δυνάμει μέντοι τὸ ἔθος προτερεῖ τοῦ λόγου, ὅτι ἔστι κυριώτερον ἐπὶ τὰς πράξεις ἄγειν τὸν ἄνθρωπον ἤπερ ὁ λόγος.

ANNOTATIO.

Hae ſunt duae reliquae ex quatuor antea nondum editis Muſonii Diſſertationibus: quarum duas priores in Philomathiae Libro Primo edidimus. Erat ſane operae pretium, eas omnes, quae nunc omnino ſunt quatuor & viginti majores Diſſertationes, cum brevioribus etiam locis, & Nieuwlandii Disputatione de Muſonio, ſingulari editione frequentare: eamque, propter ſimilitudinem ac praeſtantiam argumenti moralis & rationis diſſerendi Socraticae, cumulare additis Diſſertationibus Hieroclis, Teletis, Junci, item à Stobaeo ſervatis. Quod nos aliquando propoſitum habuimus, ſed peragere per alias occupationes nóndum potuimus. Caeterum, quum ſuperiore Annotatione non niſi locos corruptos idque breviſſime & quaſi uno verbo attigiſſemus, factum eſt ut nonnulli lectores emendationum rationes non ſatis caperent, & praeterea in locis etiam ſanis, ſed exquiſitioris paulo doctrinae & orationis, haererent. Quorum ſtudiis ut conſuleremus, hanc Annotationem ad iſtas difficultates in his duabus Diſſertationibus expediendas accommodavimus, & poſt eas deinceps amplius fuſiusque explicuimus.

DIS-

DISSERT. I. *Non utendum esse pluribus demonstrationibus ad unam rem demonstrandam.* Pertinet hic locus ad morem Stoicorum, per singulares ac breves conclusiones demonstrandi. Quem Musonius morem ita tuetur, magis ut Stoicos propter eum ab aliis Philosophis reprehensos defendere rationesque eorum ostendere videatur, quam ut ipse eum ubique sequendum judicet; quippe qui, ut alibi, ita hac in disputatione, non ista Stoica brevitate, sed Socratica inductione, exemplorum varietate, differendi copia, utitur. Hujusmodi brevia sunt apud Ciceronem v. c. Tusc. I, 8, ad quae auditor reponit: *Uberius ista quaeso: haec enim spinosiora, prius ut confitear me cogunt, quam ut assentiar.* Unde explicandum est illud Paradoxi V, 1: *Quod etsi ita esse pluribus verbis disserendum est; illud tamen & breve & confitendum est, nisi qui ita sit affectus, liberum esse neminem.* Haec igitur *brevia* quum essent propria Mathematicorum, Philosophi, & in his Stoici, ea ad demonstrandum adhibebant; ita tamen, ut de eadem re *uberius* etiam & *pluribus verbis dissererent.* Cujus officii rationes exponit Tusc. V, 7: *M. Nimirum igitur confecta res est; videtur enim ad exitum venisse quaestio. A. Propemodum id quidem. M. Verumtamen Mathematicorum iste mos est: non est Philosophorum. Nam Geometrae*

trae cum quid docere volunt, ſi quid ad eam rem pertinet eorum quae ante docuerunt, id ſumunt pro conceſſo & probato: illud modo explicant, de quo ante nihil ſcriptum eſt: Philoſophi quamcumque rem habent in manibus, in eam, quae conveniunt, congerunt omnia, etſi alio loco disputata ſunt. Quod ni ita eſſet, cur Stoicus, ſi eſſet quaeſitum, „ ſatisne ad beate vivendum virtus „ poſſet," multa diceret? cui ſatis eſſet reſpondere „ ſe ante docuiſſe, nihil bonum eſſe niſi „ quod honeſtum eſſet: hoc probato, conſequens „ eſſe, beatam vitam virtute eſſe contentam: & „ quomodo hoc ſit conſequens illi, ſic iſtud huic; „ ut, ſi beata vita virtute contenta ſit, niſi ho- „ neſtum quod ſit, nihil aliud ſit bonum". Sed tamen non agunt ſic: nam & de honeſto & de ſummo bono ſeparatim libri ſunt: & cum ex eo efficiatur, ſatis magnam in virtute ad beate vivendum eſſe vim, nihilominus hoc agunt ſeparatim: propriis enim & ſuis argumentis & admonitionibus tractanda quaeque res eſt: tanta praeſertim. Attigimus hoc argumentum etiam in noſtris Praeceptis Logicis III, 1, 7.

(*a*) Sic dedimus flagitante ſententia, pro vitioſa lectione MS. ἐπιδείξεις.

(*b*) *μέντοι*, ſi ſanum eſt, rariorem hic habet vim, quae reſpondet Latino *tandem*, *demum*, *omnino*; ut ſententia ſit, *per paucas demonſtra-*

ſtrationes eos adducens quocumque tandem vult. Quae vis exſtat in venuſtiſſimo Platonis loco Phaedr. p. 340, F: *ὄμνυμι γάρ σοι, τίνα μέντοι, τίνα θεῶν; εἰ βούλει, τὴν πλάτανον ταυτηνί.* ſic enim interrogative ſcribendum· *juro enim tibi quemnam tandem, quemnam deorum? ſi vis, hancce platanum.* Unde ſumſit Ariſtaenetus Epiſt. II, 2: *ὄμνυμι δέ σοι, Φιλτάτη, τίνα μέντοι θεῶν, εἰ βούλει* —. Secutus eſt Maximus Tyrius Diſſ. XXXII, 1, p. 377: Βούλομαι καθ' Ὅμηρον αὐτὸν παρακαλέσαι ἐπὶ τὸν λόγον τίνα μέντοι θεῶν ἢ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ Καλλιόπην; vulgo ſine interrogatione legitur *τινά*. Libanius Orat. IX, p. 252, A: *τίνα μέντοι, τίνα θεῶν αἰτιατέον.* Similiter interrogationi adjungit Plato in Phaedro p. 351, A: 353, A: Charmide 238, B. Eubulus Comicus in Excerpt. Grot. p. 650: *Χρηστὴ τίς ἦν μέντοι, τίς; Proba mulier quae tandem fuit? quae?* Diogenes Laert. IV, 66: *τί μέντοι, τί; quid tandem? quid?* Ariſtophanes Nub. 785.

(*c*) *ὄντί γε ὑγιῶς*· legendum vel *ἔχοντί γε ὑγιῶς*, vel *ὄντί γε ὑγιεῖ.* i. e. *eo citius aſſentietur placito, ſiquidem verum ſit.*

(*d*) *οὐκ* delendum.

(*) *πρὸς μόνα δὲ τῶν ἀποδείξεων.* Legendum videtur, *πρὸς ἃ μόνα δεῖ τῶν ἀποδείξεων*· i. e.: *ad quae, nimirum incertas & obſcuras res, ſola opus eſt demonſtrationibus.*

(*e*) αὐ-

(*e*) *αὐτόθεν γνώριμα·* quae *per se ipsa* innotescunt, *sponte* agnoscuntur. Sic *αὐτόθεν* usurpatur, ut opponatur ei quod *aliunde* venit, *procul*, *ἀπῶθεν* est, cum loco, tum tempore: variosque in hoc genere habet usus. Musonius apud Stobaeum Serm. XVII, p. 160, de *cibis*, *οἷς αὐτόθεν χρῆσθαι ὑπάρχοι, δίχα πυρός* —. Xenophon Mem. Socr. II, 8, 3. Plato Leg. IX, p. 660, B. Plutarchus saepe: Moral. p. 57, B: 131, F: 363, C: 377, C: 392, E: 407, C: 424, F: 450, E: 529, B: 631, D: 663, A: 665, E: 711, F: 714, D: 726, B: 728, B: 734, C: 819, D: 830, B: 916, E: 930, A: 993, A: 1020, B: alibi etiam. Conferatur Uptonus in Indice ad Epictetum. Plautus dixit *ex hoc loco*, Trucul. II, 4, 89 — *jam modo ex hoc loco Jubebo ad istam quinque perferri minas:* ubi haec est Salmasii animadversio: „ *Ex loco*, vel *è loco*, est quod „ Graeci dicunt *αὐτόθεν*: *è loco mittam*, *αὐτόθεν πέμψω*. unde *αὐτόθεν καταβάλλειν*, *è* „ *loco solvere*, hoc est praesenti pecunia: „ significatio enim loci, brevitatem temporis „ notat".

(*f*) *τούτῳ* mutandum in *τοῦτο*. i. e. *hoc λῆμμα*. Est autem in Syllogismo *λῆμμα*, *propositio*, vulgo *major* dicta: ad hanc adjungitur *assumtio*, seu *minor:* i. e. *τούτῳ προσλαμβάνεται* *προσ-*

πρόσληψις. Haec trita Stoicis, & vel è Diogene Laertio nota VII, 76.

(†) τὰς ἡδονὰς οὐχ αἱρετέον εἶναι· *voluptates non sumendum esse:* proprius & Graecus est usus Gerundii. Plutarchus Moral. p. 656, D: τὴν διαφορὰν ἐπὶ τὸ σῶμα μετοιστέον ἐστι· *diversitas ad corpus transferenda est:* item p. 66, C: 68, D: 92, B: 102, D: 124, A: 125, D: 137, C: 172, E: 819, A: Vit. 512, F: 566. Casus autem personae agentis ponitur vel Dativus: ut in Isocratis Archidamo p. 231, fin: θάνατον ἡμῖν αἱρετέον ἐστί. *mors nobis oppetenda est.* Platone Leg. VIII, p. 642, D: καὶ οὐ δυσχεραντέον πολεμικοῖς ἀνθρώποις τὸν τοιοῦτον θεόν. XII, p. 690, G. Aristide T. I, p. 380. 434. Plutarcho Vit. p. 233, A: 513, C: 597, D. Vel Accusativus: ut in Platone Leg. VI, p 621, D: πάντα τὰ τοιαῦτ' ἄρ' ἐσθ' ὑπομενητέον πάσχοντας· i. e.: *haec omnia patientes ferre oportet:* &. plura dedimus ad Plutarchi Moralia p. 122, E. Latina consuetudo fere usurpat Participium Fut. Pass. v. c.: ut in hoc loco, *voluptates non sumendas esse:* ita tamen, ut nonnumquam Graecam rationem sequatur: v. c. Plautus Trinummo, IV, 2, 27: *Hercle opinor, mihi advenienti hac noctu agitandum est vigilias.* Cicero Tusc. II, 18: *Iterandum eadem ista mihi* —. ubi videndus Davisius: idemque ad Acad. II,

II, 48. Gifanius Conlect. Lucret. p. 353: unde fua habet Vechnerus Hellenolexias I, 2, 33, p. 372, fequ.

(*g*) Proprie quidem nil aliud efficitur, quam *non omnem voluptatem bonum effe.* Sed quandoquidem enunciatio, *ἡ ἡδονὴ ἀγαθόν ἐστι*, *voluptas eft bonum*, accipitur ufu inftar enunciationis univerfalis, *πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθόν ἐστι*, *omnis voluptas eft bonum*; hanc non effe veram ex duabus antecedentibus efficitur.

(*h*) *περαίνεται*, *efficitur*, *concluditur.* Sic frequens eft Ariftoteli Analytic. Prior. I, 20 — 22, & alibi: item Stoicis apud Diogenem Laert. VI, 140, 141, 143, 150: VIII, 34. Hinc jocus Demonactis, ambiguitate verbi, quod *penetrare* fignificans, in re obfcoena ponitur, apud Lucianum T. II, 382. Hinc *συμπέρασμα*, *conclufio*, apud Plutarchum Moral. p. 387, C: 969, B: 1059, E: Vit. 448, A. Conferatur Fabricius ad Sextum Empir. Adv. Mathem. VIII, 128: Uptonus Indice ad Epictet. Voce *περαίνοντες*.

(*i*) *ἤθους.* Ne quis forte *ἔθους* corrigere tentet, quia modo *ἔθεσι* pofitum erat: fciat *ἔθος* effe *morem*, *confuetudinem*: *ἦθος* autem *mores*, *animum*, *indolem*: quod exiftit, quum *natura*, *φύσις*, quibusdam *ἔθεσι*, *confuetudinibus*, ad quemdam habitum formatur. Atque nomen *ἦθος* à nomi-

mine ἔθος venit. Aristoteles Nicomach. II, 1: ἡ δ' ἠθικὴ (ἀρετὴ) ἐξ ἔθους περιγίνεται· ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεγκλῖνον ἀπὸ τοῦ ἔθους· Magn. Moral. I, 6: Eudem. II, 2. Hinc Stobaeus Eclog. II, p. 184, edit. Canteri: II, 244, edit. Heerenii. Unde Scriptor libelli Plutarchei De Puerorum Educatione emendandus p. 2, F: ubi alia annotavimus. Et hinc quoque intelligitur quare ἦθος etiam φύσις dicatur; est enim ἦθος, quem vulgo *characterem moralem* dicunt, φύσις formata ἔθεσι: quod pluribus exposuimus ad Plutarchi Quaest. Plat. I, Biblioth. Crit. P. IX, p. 16, seq.

(††) τυπωθῆναι. *formari*, *quasi impresso extrinsecus signo*, animus à Stoicis dicitur. Animadversum Gatakero ad M. Antoninum III, 6, VI, 16: Uptono ad Epictetum II, 19, p. 286. Idem I, 6, p. 33 —: οὐχ ἁπλῶς ἐπιπίπτοντες τοῖς αἰσθητοῖς, τυπούμεθα ὑπ' αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ ἐκλαμβάνομέν τι, καὶ ἀφαιροῦμεν, καὶ προστίθεμεν τάδε τινὰ δι' αὐτῶν. Plutarchus Adverf. Stoic. p. 1084, F: Adv. Colot. 1118, B: De Vultu Lunae 945, A. Symposiac. IV, 1, 660, C: ad quem plura dabimus.

(**) κακῶς. Immo καλῶς· *si debent se bene habere*: i. e.: *si ad sanum habitum redigenda sunt.*

(*k*) παρεχόμενον. i. e.: *praebentem docenti in-*

dolem inertem & indocilem. Ita subinde παρέχω, & Medium παρέχομαι, quasi pro ἔχω, *sibi aut aliis quid praebere*, usurpatur. Herodotus II, 35, de Aegypto: ἔργα λόγου μέζω παρέχεται πρὸς πᾶσαν χώρην. Plato Leg. III, p. 585, A: κρεῶν οὐδαμῶς ἐνδεεῖς ἦσαν· ἔτι δὲ θηρεύοντες οὐ φαύλην οὐδ' ὀλίγην τροφὴν παρείχοντο. IV, 596, G: VII, 638, G: δειλὸς δὲ καὶ ἀγύμναστος γεγονὼς πρὸς τὸ σωφρωνεῖν, μείζους καὶ σφοδροτέρας παρέχεται μεταβολὰς τῆς κινήσεως· — Plutarchus De Genio Socratis p. 591, A: ἄγριον παρεχομέναις τὸ ἄλογον· *partem irrationalem immanem habentibus:* De Herodoti Malign. 862, C: De Solertia Animal. p. 991, F: De Vultu Lunae p. 943, D: Publicola p. 111, A. De aliis significationibus & de Activo, alibi.

(*l*) ἠγωνισμένον. Auctor scripsisse videtur ἠγμένον, *educatum*· estque & dicitur Laconica institutio ἀγωγή. Sic de canibus Xenophon Venat. III, 3: τὰ μὲν οὖν πλεῖστα τούτων φύσει ἔχουσι· τὰ δὲ ἠγμέναι ἀνεπιστημόνως, δύσχρηστοί εἰσιν. Exemplo de canibus sumto Lycurgus Spartanis illam ἀγωγὴν persuasit: ut refert Nicolaus Damascenus in Excerptis Valesianis p 449: Plutarchus in Apophthegm. Lacon. p. 225, F: & Scriptor libelli De Educatione p. 3, A: quam narrationem cum hoc Musonii monito compa-

parasse lectores non poenitebit. Forma verbi & alibi occurrit: & simili sententia in Hieroclis Dissert. apud Stobaeum Serm. LXXVI, p. 462: ὁποῖα δὴ πολλὰ φιλεῖ γενέσθαι περὶ τοὺς πολλοὺς καὶ ἰδιωτικώτερον ἡγμένους.

(*m*) οὐκ ἔστιν εἰπεῖν· Formula minus frequens; tamen aliquoties nobis observata. Ipse Musonius in Dissertatione, cujus argumentum est *Reges philosophari oportere*, apud Stobaeum Serm. XLVI, 338: ἄρ' ἔσθ' ὅπως βασιλεὺς ἀγαθὸς εἴη τὶς ἄν, μὴ ἄνθρωπος ἀγαθὸς ὤν; οὐκ ἔστιν εἰπεῖν· sic autem prior pars interpungenda est: Plutarchus De Discernendo Adulatore ab Amico p. 59, A: ubi plura apposuimus.

(†††) μοχλευόμενος *tamquam iners pondus, vectibus sublevatus.* Elegans tralatio. Sic Plutarchus Symposiac. IV, 1, p 662, C: αἱ διὰ τῶν ἐπιπόνων βοήθειαι μόγις κατὰ μικρὸν ἀνύουσι, χαλεπῶς ἐκμοχλεύουσαι καὶ προσβιαζόμεναι τὴν φύσιν. III, 6, p 653, F: ἐκθλιβομένων καὶ μοχλευομένων τῶν μάλιστα συνδεῖν καὶ κολλᾶν τὸ σῶμα πεφυκότων. Fragm. De Anima. VII, 19, αἱ ψυχαὶ πολλῷ τῷ κάρῳ κατεχόμεναι τῆς γενέσεως πολλῆς πρὸς ἀνάμνησιν δέονται τῆς μοχλείας· i. e.: *animae multo generationis veterno oppressae ad reminiscentiam opus habent quasi vectium molitione.* Gregorius Presbyter in Vita Gregorii Naz. p. 24, A: συνέβαινεν αὐτῷ· — προσάγειν

γεῖν πλείονας, οὐ θυμῷ πλήσσοντι, ἀλλ' ἐπιεικείᾳ τὴν ἀμαθίαν ἐκμοχλεύοντι, καὶ εὐεξίαν ταῖς ψυχαῖς ἐμποιοῦντι διὰ τοῦ λόγου. Bentlejus in Epiſtola ad Millium p. 15, Euripidis loco apud Plutarchum ſervato Conſol. Apollon. p. 106, A: Ὅσοί τε δεσμοῖς ἐκμεμόχθηνται βροτῶν, legendum contendit ἐμμεμόχλευνται, vel δεσμοῖσι μεμόχλευνται: praeter neceſſitatem, judice Musgravio: cui nos ſubſcribimus. Propriae ſignificationis exempla habet H Stephanus Theſ. L. Gr. T. II, p. 1578, ſeq. & Berglerus ad Ariſtophanis Lyſiſtr. 429.

(*n*) Oratio multis partibus turbata. Primum, continuanda ſic: μείζονος ἢ ὁ τοιοῦτος — i. e. *neque labore majore opus habebit, quam puer ille talis Laco*. Deinde, ὥστε ἔγγυον νομίζειν εἶναι τὸν πόνον τῆς τ' ἀγαθοῦ φύσεως καὶ τῆς τοῦ κακοῦ, legendum — τῆς τε τοῦ ἀγαθοῦ φ. κ. τ. τ. κ. *ut exiſtimaret, laborem eſſe ſponſorem naturae & boni & mali hominis:* quod nec ſic quidem pro ſolita Muſonii perſpicuitate dictum eſt. Tum, in τυγχάνει ὧν ἐπυνθάνετο, *adipiscitur, quae interrogabat:* quod nullam habet idoneam ſententiam: deſideratur quid hujusmodi τυγχάνει οἰκεῖος ὢν ὧν ἐπυνθάνετο. i. e.: *jam familiaris rei, de qua interrogabat.* Porro in Laconis ad Cleanthem *interrogatione*, non ſatis certa eſt ſignificatio bonae naturae: at fuiſſet in *aſſeveratio-*

tione: quae hic nulla apparet. Apud Diogenem Laertium eadem res brevius traditur VII, 172: *Λάκωνός τινὸς εἰπόντος, ὅτι ὁ πόνος ἀγαθόν· διαχυθείς (Κλεάνθης) φησιν; Αἵματος εἶς ἀγαθοῖο, φίλον τέκος·*

(*o*) *Αἵματος—.* Odyss. Δ, 611.

(*p*) *Φανερῶν·* Corrigendum, *φοβερῶν.*

*** (*q*) Lacuna exstat in codice scripto, cui explendae quum multae rationes excogitari possint, una ex his non inepta memoretur, *καὶ πείθειν τῷ κατασκευαστικὰ εἶναι ἃ λέγει καὶ ἀνατραπῆναι μὴ ῥ. & persuadeat per id, quod ea quae dicit demonstrantia sint, nec facile refellantur—.*

DISSERT. II. (*a*) ΛΥΚΙΟΥ ΕΚ ΤΩΝ ΜΟΥΣΩΝΙΟΥ. Singularis haec est inscriptio, quum caeterae omnes Dissertationes solum nomen Musonii proscriptum gerant. Et nihilominus tam haec est Musonii, quam caeterae omnes. Nec alius videtur esse hic *Lucius*, quam is, qui caeteras omnes Musonii Dissertationes scripto consignavit. Suspicor *Pollioni* illi Grammatico, qui, teste Suida in Voce Πωλίων, Musonii *ἀπομνημονεύματα*, id est has Dissertationes, conscripsit, praenomen fuisse *Lucium:* nomen autem ex familiae Romanae *Pollionum* clientela, & fortasse ab ipso illo *Claudio Pollione*, qui teste Plinio Epist. VII, 31, de Musonii vita librum

ediderat: Stobaeum autem in suis Excerptis, his Musonii locis, titulum varie posuisse, Μουσωνίου· & ἐκ τῶν Μουσωνίου· & Λυκίου ἐκ τῶν Μουσωνίου·, sed Λυκίου nomen librariorum culpa, à caeteris, excepto hoc, capitibus excidisse. Et in *Epicteti* locis similem varietatem deprehendimus apud Stobaeum: ubi aliquoties adscriptum est Ῥούφου ἐκ τῶν Ἐπικτήτου, item Ἀῤῥιανοῦ Ἐπικτητίου. Nam & Rufus & Arrianus Epicteti Dissertationes prodiderant. Neque etiam repugnat quominus ipse Lucius suorum ἀπομνημονευμάτων Musonii epitomen fecerit: unde hic locus, ut brevior, sumtus sit. Talis fuit epitome, sed ab alio facta, Dissertationum *Teletis*: unde in eodem codice Damasceni sub hoc titulo exstat locus ejusdem fere atque haec Musonii est Dissertatio II, brevitatis: Ἐκ τοῦ Θεοδώρου τῶν Τέλητος ἐπιτομῆς· περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι: quem locum alio, si forte, tempore prodemus.

(*b*) μὲν· forte natum ex vera scriptura ἡμῖν.

(*c*) διδάσκει· constructio postulat διδάσκοι.

(*d*) ἐθιζομένων· bene habet, nec mutandum ἐθιζόμενον· Sensus est: *si ratio quidem recte doceat, quid faciendum sit: consuetudo autem ita fiat, ut homines secundum hanc rationem agere adsuescant.* Est haec Genitivi Participiorum vis nondum satis animadversa: v. c. apud Plutarchum

chum in Bruto p. 1000, A: πολλάκις ἀφῄρει τὴν χαλεπότητα καὶ τὸ ἄκαιρον αὐτοῦ μετὰ παιδιᾶς δεχομένων· omiſſo καὶ, verba caeterum obſcura ſic interpretanda: *Favonius ſaepe ſedabat diſſenſiones, quum diſſentientes ejus importunitatem cum joco exciperent.* De Fortuna p. 98, E: ὀρχήσεις τε μανθάνει (ὁ ἐλέφας) καὶ χορείας καὶ προσκυνήσεις· οὐχ ἀχρήστως τῶν τοιούτων παρεισαγομένων· i. e.: *quum talia non inutiliter introducantur.* — Sympoſiac. VI, 4, 690, D: τὰ ἡμέτερα σώματα λουσαμένων ψύχεται μᾶλλον. Plura alibi.

(*e*) τινα. Οὕτως. Rectius ſit τινα οὕτως.

(*f*) ὥρα. Mendoſum. Forte verum fuerit θεωρίαν. ſed hoc antecedentia poſtulat fulciri addito τήν; ut ſit, περὶ τὴν τῶν ἰατρικῶν θεωρίαν.

(*g*) οἷα ἱκανά. Forte πλοῖα ἱκανά· *navigia ſatis multa.*

(*) ἱκανώτατον λέγει· Praeſtet ἱκανώτατα λέγοι. Requiritur tamen plenius, ἱκανώτατος ᾖ λέγειν· i. e.: *plurimum facultatis habeat ad dicendum quomodo oporteat gubernare.*

** (*h*) In promtu eſt, quod lacunam expleat χρήσαιο.

(*i*) ὁ εἶπε. Imo ὃς εἶπε, quae eſt ſolennis dialogi formula.

(*k*) Malim: καὶ λέγειν αὐτοὺς πιθανωτάτου.

(*l*) ἐπιτρέψαι. Legendum ἐπιτρέψαις.

 (*m*) εἰ-

(*m*) *εἶδοι*. Nihili vocabulum, forte natum ex *εἰδότος*· i. e: *pueri musica ignorantis*.

(*n*) Sententia postulat, *τὸν ἐν τοῖς ἔργοις ἱκανόν*, aut simile quid.

(*o*) *τῇ πράξει*. Verum est *τάξει*, à quo librarium frequens in hoc loco vocabulum *πρᾶξις* abduxit: *τάξις*, *locus*, *ordo*, & *δύναμις*, *vis*, *momentum*, sic componuntur. Fluxit hoc ex Demosthenis nobili sententia in Orat. Olynth. III, p. 12, A: *τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστι*. Quod Longinus imitatus est De Sublim. initio fere: *ἐπὶ πάσης τεχνολογίας δυοῖν ἀπαιτουμένων προτέρου μὲν, τοῦ δεῖξαι τί τὸ ὑποκείμενον, δευτέρου δὲ τῇ τάξει, τῇ δυνάμει δὲ κυριωτέρου, πῶς ἂν ἡμῖν αὐτὸ τοῦτο, καὶ δι' ὧν τινων μεθόδων κτητὸν γένοιτο —*. notavit etiam Ruhnkenius Conjunxit Aristides Orat T. II, p. 262: *τῇ τάξει καὶ τῇ δυνάμει τρίτον ἡ τέχνη —*.

I.

I.

D. W. DISPUTATIONIS,

qua ostenditur, scriptorem libri De Educatione Puerorum, inter Plutarcheos editi, non esse Plutarchum Chaeronensem:

EPITOME.

Ne vero Plutarchi nostri penitus nos oblivio capiat, eum saltem commemoremus; quando in perscribenda ejus annotatione pergere nondum possumus. Ab hoc enim opere quum nos varii subinde casus avocassent, de quibus diximus Bibliothecae Criticae, P. XI, p. 3, 3: & mox ejus partem, ibidem p. 6, significatam, Oxonium misissemus: & ad reliquam conficiendam accessissemus; supervenit horribilis illa d. XII. Januarii, a. MDCCCVII, nostrae urbis clades: quae me, huic operi, ut cum maxime, intentum ac deditum, fulmineo ictu inde dejecit, & diffracta domo, libris chartisque disjectis, in rus ejecit. Hic aliae adhuc nos tenuerunt Literae: Selectorum altera editio: Phaedon: Eunapius: Bibliothecae Criticae Pars XII: Philomathia: Plutar-

 cheum

cheum opus si quando repetere volumus, *animus meminisse horret, luctuque refugit.* Quo terrore dum liberemur, saltem ex operis parte typis quidem excusa, sed nondum edita, ejus aliquid prodamus, quod unum in manibus habemus. Est autem haec Disputatio, cujus titulum proscripsimus: cujusque Epitomen haud ingratam lectoribus nostris fore speramus: qua illud Criticae munus, quo spuria scripta à germanis distinguantur, et ratione et exemplo cognoscant.

Qui hunc libellum non à Plutarcho scriptum esse suspicarentur, certe qui hanc suspicionem ad publicam notitiam proderent, non nisi duo, quod quidem sciam, fuerunt: M. A. Muretus Var. Lect. XIV, 1: & Jo. Rualdus, Vita Plutarchi, XX, p. 41, illo Mureti judicio, ut videtur, admonitus. Cujus ego paucitatis causas quaerens, unam eamque verissimam, mea ipse experientia doctus, hanc reperi. Libellus in omnibus exemplis editis primum habet locum, primus est ordine & numero. Igitur quisquis ad libellos Plutarchi Morales accedit, in hunc primum incidit, hunc legit novus & hospes in forma & oratione Plutarchea: hujusque formae & orationis sensum, si forte, postea demum legendi progressu colligit. Paucissimi, vel dicam nemo, finito volumine, ejus lectionem continuo iterant jam instructi ad judicandum, utpote recentes à lectione

Auctoris, ejusque sensu imbuti. Quod si plures fecissent, plures hunc libellum falsi nominis suspectum habuissent. Nunc, ut fit, evanido & refrigerato per temporis spatium & aliorum Scriptorum lectionem Plutarcheo sensu, redeunt ad Plutarchum item, ut primo, novi & hospites, & nil quidquam spurii aut suspicantur aut sentiunt. Ita non solum libellus *De Educatione* apud plerosque doctos homines in falsa auctoritatis possessione mansit: sed manserunt etiam alii libri, & manifestioris fraudis illi: veluti *De Philosophorum Placitis*, *De Vitis X Oratorum*: & manifestissimi duo ineptissimique gemini ex eadem fraudis officina proditi, *Parallela Graeca & Romana*, &, *De Fluminibus*. Mihi vero, per susceptam editoris provinciam, Plutarchum saepius relegenti, & eum porro cum scriptis codicibus conferenti, ac secundum codicum seriem alium deinceps & alium librum conferre pergenti: mihi ergo evenit, ut quoties ab aliis, iisque germanis Plutarchi libris ad istum *De Educatione* accederem, toties mihi nescio quid novum & peregrinum, ab illa Plutarchea copia diversum, leve & inane, ad animum sensumque accideret. Idque paulatim animadvertendo tale tantumque esse cognovi, ut hic libellus non modo à Plutarcho, sive juvene illo sive sene scribi non potuerit, sed alium quemvis opificem habere debuerit. Sed

hoc

hoc non nisi ad meum mihi sensum satis erat. Nunc age experiamur, an hunc implicitum animo sensum ad judicii perspicuitatem diligentiamque explicare, & hactenus certe cum lectoribus nostris communicare possimus, ut assensum nobis suum non denegent.

Notae, quibus aliquis liber spurius censetur, vel *internae* vel *externae* sunt. *Externae*, praecipuae quidem, hujusmodi sunt: si liber jam ab Antiquis spurius habitus est: si ab iisdem prolata sunt quaedam ex hujus nominis & auctoris libro, quae hodieque in eo non exstent, nec locum inveniant: si Antiqui de eo tacent, ubi mentionem facere debuissent, aut memorant eum sub alterius nomine Auctoris: si res factaque in eo produntur incredibilia, & communi Antiquitatis usui ac testimonio repugnantia: si res vocesque in eo occurrunt, aetate Auctoris, cujus nomine fertur, nondum factae neque cognitae: veluti, ut hoc utar, in Phalaridis Epistolis frequentes sunt hujusmodi notae, à Bentleio deprehensae & excussae. Estque hoc genus ita in promtu manifestoque positum, ut doctis quidem facile in oculos incurrat, & semel ostensum etiam minus doctos moveat. *Internae* notae in eo cernuntur: ut non quidem ab illa aetate, sed ab ipso Auctore alienae sint; ut disserendi ratio, argumentorum, praeceptorum, exemplorum delec-

jectus, dispositio, explicatio, orationis habitus cum in singulis verbis, tum in eorum compositione, tum in sententiarum conformatione & continuatione, ab Auctoris consuetudine & ingenio abhorreant. Quod genus plerosque latet: nec nisi ab his & à paucis adeo horum, animadvertitur, qui non modo universae Antiquitatis & Linguae scientia valeant: sed peculiariter ejus, de quo quaeritur, Auctoris longo usu & formam animo impressam, & orationem auribus quasi sensuque tritam habeant. Et sunt hujus generis, ut prioris, complures gradus; prouti notae illae magis minusve vel frequentes, vel manifestae & conspicuae sunt. Judicium de hoc libello totum in difficiliore isto genere *interno* versatur. Nulla est *externa* nota, nisi forte una, à silentio Veterum ducta. Nos quo accuratius in hac Disputatione agamus, ejus distributionem in principio proponamus, partesque suis argumentis & nominibus significemus.

Sectio I, *de Argumento Externo.*
Sectio II, *de Argumentis Internis.*
——— Pars I, *de Rebus.*
——— ——— Caput I, *de Materia.*
——— ——— ——— §. 1, *de Materia, quae deest.*

Sec-

Sectio II, Pars I, Caput I, §. 2, *de Materia, quae adest.*
——— ——— Caput II, *de Forma.*
——— ——— ——— §. 1, *de Distributione Materiae.*
——— ——— ——— §. 2, *de Argumentatione.*
——— Pars II, *de Stilo & Oratione.*
——— ——— Caput I, *de singulis Verbis.*
——— ——— Caput II, *de Verborum Nominumque significatione, compositione, formulis, dictionibus.*
——— ——— Caput III, *de Orationis habitu & compositione.*

Conclusio.

Sectio I, Argumentum Externum unicum nobis diximus suppetere, à silentio Veterum ductum. In *Catalogo* scriptorum Plutarchi, qui sub nomine filii ejus *Lampriae* fertur, nullus memoratur hac inscriptione liber, ubi ex libris Moralibus, qui nunc sunt, octogenis, ad sexaginta & quatuor memorantur. Sed neque hinc argumentum ducas; siquidem hic Catalogus postrema parte truncatus ad nos venit. Nulla libri hujus mentio fit apud *Stobaeum*, ubi frequentes sunt ex aliis

aliis libris Plutarcheis, & perditis & reliquis, loci. Caput περὶ παιδείας καὶ ἀγωγῆς, quod in Stobaeo fuisse ex Photii recensione Cod. CXLVII novimus, nunc in editionibus desideratum, servatum in Joannis Damasceni Parallelis MSS., ubi multi exstant περὶ παιδείας καὶ ἀγωγῆς Antiquorum Scriptorum loci, ex hoc sub Plutarchi nomine frequentato libello nullum locum habet. Neque in *Sopatri Eclogis* memoratur, quarum argumenta, & Auctorum unde factae erant nomina, recenset Photius Cod. CLXV: in quibus complurium librorum Plutarcheorum suis nominibus diserte significatorum exstabant loci, atque adeo spurii illius *De Fluminibus:* tum Caput erat De *Efficacia Consuetudinis & Laboris*, quae est item materia hujus libelli Cap. IV. Ut nunc est, antiquissimum ejus vestigium exstat in Sententiis S. Maximi & Antonii: ubi p. 704, nullo addito nec auctoris nec libri nomine, exhibetur locus hujus libelli p. 3, E: Εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης — Duo alii loci, quorum alter p. 818, non Plutarchi nomen habet, sed deinceps aliis nomen Plutarchi adscriptum habentibus subjicitur, Οἱ ἐν εὐδίᾳ πλέοντες — qui referri videtur ad hunc libellum p. 8, C: alter sine Plutarchi nomine p. 933, Τὰ μὲν γὰρ σώματα τοῖς συμμέτροις πόνοις — quem quis forte indidem sumtum putet p. 9, B. Quartus,

tus, quem postea animadvertimus, p. 387, Καὶ γὰρ αὖ σιωπήσας — in eodem libello proditus reperitur p. 10, F. Hae igitur apud Maximum & Antonium sententiae, nec verbis nec rebus ita cum hujus libelli locis congruunt, ut hinc potius, quam aliunde eas petitas affirmaverim. Et fuerit sane illa aetate hic libellus; an sub nomine Plutarchi jam fuerit, statuere non possumus. Equidem eum Plutarcho non multo recentiorem faciam; utpote abhorrentem ab illius magis proprietate, quam aetate. Caeterum, quod quidem sciam, non citatur ab aliis sub nomine Plutarchi ante Saeculum XIV, quo Macarius Chrysocephalas, ut ex aliis germanis compluribus Plutarchi libris, ita ex hoc, tamquam germano, locos in suam 'Ροδωνιὰν legit à Villoisono descriptam in Anecdot. Venet. T. II. In codicibus Plutarcheis jam antea ferebatur: veluti Parisiensibus, A, D, F, & duobus Moscuensibus: qui omnes antiquiores, ex Saeculis XI, XII, XIII, censentur.

Sectio II, *de Argumentis Internis:* Pars I, *de Rebus:* Caput I, *de Materia:* §. 1. *de Materia, quae deest.* Jam primum reperiemus, multas in hoc libello materiae partes omissas esse, quae omitti nec poterant à Plutarchi diligentia ac doctrina, nec debebant propter ipsam argumenti *De Educatione* naturam ac necessitatem. Ha-

Harum deinceps quasdam, praecipuas quidem, recenseamus; quando omnes enumerare infinitum est.

I. Constat inter omnes quam late patuerit apud Antiquos locus *de Educatione Puerorum*, quanta cum diligentia & cura tractatus sit cum à Legislatoribus, tum à Philosophis. Sit mihi aliquis versatus in lectione Plutarchi: teneat ejus formam & consuetudinem: legerit ea, quae is de Educatione sparsim disseruit aliis in libris: legerit idem de hoc argumento, quae nobis servata sunt praecipua Antiquorum praecepta, Platonis Legum VII, toto libro; aliis partim, VIII, I, II, Reipublicae II, III: Xenophontis Cyropaediâ & Republicâ Lacedaemoniorum: Aristotelis Polit. VII & VIII: Quinctiliani Instit. Or. I, & II. Tum se det ad hunc libellum legendum. Nae is haud secus repentino diversitatis ac novitatis sensu percutiatur, quam qui è culto & fertili agro in sterilem & incultum veniunt: aut qui de eodem argumento doctum & prudentem virum, deinde balbutientem puerum, audiunt.

II. Quis non ab eo, qui se de *Educatione* praecepturum profiteatur, exspectet ut tres illas institutionis puerilis partes, *Literas*, *Musicam*, *Gymnasticam*, & diserte memoret, & diligenter persequatur? At iste neutrum fecit. Fuit autem triplex illa distributio ita frequens & solem-

nis in omni Educatione, ut ejus omisfio in fcriptione de hoc ipfo argumento non nifi ab incogitantia, aut ignorantia moris antiqui, proficisci potuerit. Legatur Plato in Theage p. 8, E, Clitophonte p. 255, C: Dio Chryf. Or. XIII, p. 233, C: Xenophon Rep. Laced. II, 1. Ex hoc more eft illud Terentii Eunucho III, 2, 23: — *fac periculum in literis, Fac in palaeftra, in muficis: quae liberum Scire aequum eft adolefcentem, follertem dabo.* Quarto loco *Graphice*, id eft, pingendi five delineandi ars, aetate Philippi Macedonis, ejusque filii Alexandri, paulatim, ut primus gradus Liberalium Artium, frequentata receptaque eft: quod quidem conftat Plinii teftimonio, XXXV, 34, 8. Ejus jam ut quartae, nec ab omnibus adhibitae, meminit Ariftoteles Polit. VIII, 3. Plato puer eam didicisfe fertur, ut eft apud Diogenem Laert. III, 5, & alios: quamquam in ejus fcriptis hujus rei, quod fciam, nullum eft indicium, nifi forte Leg. VI, p. 620, F: ubi tamen ipfe eam non magni facere videtur: & certe, ut artem, factitare disfuadet in Epinom. p. 698, C. Sane puerilis ejus aetas in tempus fuperius incidit. Ergo didicerit eam puer non communi more, fed fuo fibi & peculiari ftudio; ut jam antea Pythagoras; fi quidem vera prodit Diogenes ille *Incredibilium ultra Thulen* fcrip-

ſcriptor: è quo haec refert Porphyrius De Vita Pythag. §. 11, loco, ut videtur, à librariis turbato, nec cum antecedentibus item turbatis ſatis apto: *παῖδα μὲν οὖν ὄντα ἔπεμπεν εἴς τε κιθαριστοῦ, καὶ παιδοτρίβου, καὶ ζωγράφου·* ubi forte excidit Grammaticae mentio, & legendum — *εἴς τε γραμματιστοῦ, καὶ κιθαριστοῦ, κ. π. κ. ζ.* Quod vero ait G. J. Voſſius De Natura Artium I, 5, 6: *jam Thaletis Mileſii temporibus picturam fuiſſe partem inſtitutionis puerilis; idque intelligi ex ejus dicto apud Stobaeum, caet.:* feſellerunt ſua virum egregium adverſaria; nam *Thaletis* dictum hujusmodi in toto Stobaeo, atque adeo in aliis Antiquorum ſcriptis, nullum exſtat: ſed eſt *Teletis* apud Stobaeum p. 535. Habetur quidem vulgo *Teles* in ſcriptoribus incertae aetatis: ſed eum Antigoni, ſive Gonatae ſive Doſonis, temporibus fuiſſe, ex ipſius alio loco apud Stobaeum p. 231, intelligitur. Perperam Fabricius B. G. I, p. 523, cum Pythagoricum facit.

III. Iſte vero Pſeudo-Plutarchus neque de Grammatica, neque de Muſica, neque de Pictura, vel unum verbum dixit: Gymnaſticam ita commendat, ut ejus veram vim ac partes ignoraſſe videatur; adeo leviter & breviter de ea loquitur. Conſtat, Grammaticae ſtudium puerile hujusmodi fuiſſe, ut puer primo apud Gramma-

tistam, id est ludi magistrum, legere ac scribere disceret: tum apud Grammaticum, qui saepe & Criticus dicebatur, poetas legeret, & stilum componendaeque orationis facultatem exerceret: quo de more videatur Vossius libro laudato, & Jo. Wowerius Polymathiae Cap. IV—X: ex veteribus Quinctilianus Inst. Or. I, 2—9: Plutarchus De Legendis Poetis, ubi hanc puerilis institutionis partem proprie tractavit. At hujus *De Educatione* libelli scriptor de neutro Grammaticae munere verbum dixit: ipsius vero artis ne nomen quidem posuit. Qui si Plutarchus esset, aut de utroque Grammaticae munere praecepisset, aut monuisset se de Poetarum Lectione peculiarem librum vel scripturum, vel scripsisse: aut in illo De Poetis Legendis libro dixisset, se De Educatione scripturum, aut scripsisse. Quid vero iste Pseudo-Plutarchus? Iste vero τὰ ἐγκύκλια παιδεύματα, *liberalia instituta*, universe, nec unum nominatim, tangit Capitis X initio, paucis verbis in hanc sententiam: *Puer ingenuus nullius debet expers esse earum artium, quae liberales appellantur* (τῶν καλουμένων ἐγκυκλίων παιδευμάτων) *sed haec cursim & gustus caussa discere: philosophiam autem praecipuo & antiquissimo loco habere & colere.* Quo in praecepto duplex est inscitia: altera, quod ἐγκύκλια παιδεύματα non nisi obiter attingere & degustare vult

vult puerum: quae, omnium recte sentientium judicio ab omni aevo, unica & verissima puerilis ingenii institutio & exercitatio fuerunt: altera, quod puero philosophiam adjungit, quae, totius Antiquitatis more, eorum demum fuit studium, qui è pueris jam excessissent, id est, ἐφήβων, νεανίσκων, *adolescentium*, *juvenum*.

IV. Aetatum progressionem, infantiae, pueritiae, adolescentiae, leviter notat: ipsarum studia, mores & habitus, dotes & facultates, non attingit: earumdem nec terminos nec partes suis annis significat. Conferat quis istam negligentiam cum diligentia vel Aristotelis Politic. VII, 17: VIII, 1, & seq.: vel Quinctiliani Inst. Or. I, 1: II, 1. Atqui hi de *Educatione* non solâ & seorsum, sed, ut de parte alterius doctrinae, conjunctim scripserunt. Alii etiam, qui aetatum commemorationem obiter attingunt, accuratius eas distinguunt. Veluti, in humanae sortis vitaeque descriptione, Teles, praeclarae philosophus doctrinae, quem supra laudavimus, apud Stobaeum p. 535; cujus locum operae pretium est comparare cum simili, quem Stobaeus ibidem sub nomine Platonis exhibet ex Dialogo Axiocho, cujus auctorem alii Aeschinem Socraticum faciunt; utrique perperam. Apparent enim vestigia imitationis, quâ hic locum Teletis sequitur: sed imitationis non puerilis, nec servilis, totas sententias cum ipsis verbis de-

describentis, cujusmodi est in duobus aliis ejusdem Aeschinis nomine usurpatis Dialogis, *De Virtute*, ac *De Divitiis*, sed universum argumentum adumbrantis: quibus in Dialogis ut est ratio oratioque simplicior, majorque cum Socratico charactere similitudo, ita in Axiocho non est tanta ab eodem charactere dissimilitudo, quanta in libello *De Educatione* à Plutarcheo. Caeterum, Aeschinis character cognosci potest è germanorum Dialogorum reliquiis apud Aristidem: quibus nuper accessit locus servatus in Jo. Damasceni Parallelis ineditis.

V. Deinde, in libello *De Educatione*, nulla fit mentio quaestionis, utrum pueri melius domi, an in scholis, erudiantur: quod est argumentum Quinctiliani Inst. Or. I, 2.

VI. Nil dicitur, qua ratione puerorum ingenia dignoscantur: quod est ejusdem argumentum I, 3.

VII. Nil de variis ingeniis vario modo docendis ac tractandis.

VIII. Nil de ipsa varietate ingeniorum naturali, cum in facilitate & solertia ad virtutes, artes, disciplinas: tum in proclivitate ad vitia, stupore & inertia ad discendum.

IX. Multa desunt quae Antiquitatis mos in hoc argumento desiderat: multa, quae Plutarchi proprietas & consuetudo. In his praecipua ista: Vir-

Virtutum Vitiorumque notationes, familiares Plutarcho, ductae ab experientia & humanae naturae observatione: Comparationes actionum animi & corporis, quibus res à sensuum judicio remotae sub sensus revocantur, & corporeis imaginibus significantur: Philosophorum de hoc argumento praecepta & rationes nec referuntur, nec cum judicio expenduntur: Exempla de puerorum Educatione à diversis populorum moribus desumta, v. c. Atheniensium, Lacedaemoniorum, Thebanorum: Romanarum rerum mentio. De consilio loci, temporis, hominum, quibus scripserit praeceptaque sua destinaverit, quis ipse, quo loco ac tempore fuerit.

Sect. II, Part. I, Cap. I, §. 2.: *De Materia, quae adest.* Haec ejusmodi est, ut quemvis alium, quam Plutarchum, auctorem prodat.

I. Praecepta se daturum professus περὶ τῆς τῶν ἐλευθέρων παίδων ἀγωγῆς, nec definit aut declarat, quid sit ἀγωγὴ, qui ἐλεύθεροι παῖδες· quod alienum est à Plutarchi ratione.

II. Praecepta dat ditioribus, non item pauperibus: nec ipse hoc fateri veretur p. 8, E: *Si vero sunt*, inquit, *qui*, *propter rei familiaris angustias, meis uti nequeant praeceptis*, *hi fortunam*, *non me praecipientem*, *accusent.* Abhorret à Plutarcho.

III. Praecepta non mala nec repudianda: sed tamen pervulgata, nec vel à prudente experien-

tiae obſervatione, vel ab exquiſitiś Literarum copiis profecta; ut nemo unus ex multis paterfamilias, leviter Literis tinctus, non melius praeciperet: conſtant locis communibus, ſententiis tralatitiis: quibus confirmandis quae adhibentur auctoritates, vel ab exemplis hiſtoricis, vel ab aliorum nomine & effatis petitae, in eadem ſunt levitate.

IV. Plato ter citatur: Euripides quater: Homerus nusquam: Heſiodus & Demoſthenes ſemel: qui omnes pro Plutarchi conſuetudine frequentes esſe debebant: ſemel Phocylides, Sotades, Epigramma: ſub finem Pythagorica Symbola quaſi è ſacco effunduntur. Nil non in hoc genere abhorret à Plutarcho.

V. Frequentia ſunt exempla hiſtorica, quae ſane libellum jucunda varietate diſtinguunt; ita tamen ut nonnulla eum non à Plutarcho ſcriptum arguant, partim ab ipſa veritate, partim à ratione, qua in germanis Plutarchi libris referuntur, aliena: Veluti p. 1, D, *de Themiſtoclis filio*, aliter eſt in Ejus Vita p. 128, B, & Apophth. p. 185, D. *Stilponis* factum p. 5, F, aliter refertur De Animi Tranq. p. 475, C. Tum illud falſum, Megaram à Demetrio everſam. *Theocriti Chii* negotium p. 11, B, C, diverſe narratur à Plutarcho Sympoſ. p. 633, C: quem disſenſum excuſans Heuſingerus editor, fruſtra eſt. *Diophantus*

vo-

vocatur Themiſtoclis filius, qui fuit *Cleophantus.* Sententiae auctor proditur Crates p. 4, E, qui fuit *Socrates. Epaminondas* in Platonis discipulis memoratur p. 8, B. Socrates Gorgiae reſpondisſe dicitur, quod Polo reſpondit p. 8; A. Librariis forte quis haec tribuenda dicat. At iſta aequitate utendum eſt, ubi in magna per totum librum diligentia & doctrina pauci occurrunt errores: non, ubi frequens eſt per totum librum negligentia.

VI. Materiae pars etiam sunt singularia dicta judiciaque Scriptoris. Horum non pauca ſunt, in quibus nec ratio nec conſilium appareat; quaeque magis cum puerili negligentia ac temeritate, quam cum cogitate ſcribentis diligentia conveniant. *Arrogantia puerorum claris parentibus natorum*, laudatur Cleophanti exemplo, p. 1, D. *Theſſali* dictum p. 3, F, ita inſertum, ut nil ad rem pertineat. *Bonum paedagogum oportere ſimilem esſe Phoenicis, Achillis paedagogo*, p. 4, B: nec additur qualis fuerit Phoenix, quae ejus in hoc munere dotes. Mox de magiſtro dicturus ita praefatur, ut dicat hoc munus esſe *πάντων μέγιστον καὶ κυριώτατον τῶν εἰρημένων*· ac ſi prior omnis pars, levis momenti ſit. Ibid. p. 5, A: Τί *οὖν συμβαίνει τοῖς θαυμαστοῖς πατράσιν, ἐπειδὰν κακῶς μὲν θρέψωσι, κακῶς δὲ παιδεύσωσιν τοὺς υἱεῖς*· neque ſi ita legas, neque ſi prius *κακῶς* mutes in *καλῶς*, ſen-

tentia constabit: videtur Scriptor, ut novus in scribendo, figurae concinnitate inductus, ei rem ac sententiae veritatem posthabuisse. P. 5, C: Quod ait: *Reliqua omnia bona sunt humana, parva, nec studio digna, nobilitas, divitiae, gloria, pulcritudo, sanitas, robur corporis: sola bonorum nostrorum doctrina immortalis est ac divina:* est hoc Scriptoris Stoicum παράκουσμα, obiter fando acceptum, nec intellectum: nec certe ab eo crepandum, qui de *Educatione* scribat; quippe quae horum humanorum bonorum rationem habere debet: &, quasi παιδεία, doctrina, non item inter res humanas censeatur: tum ipse sibi repugnat Scriptor; nam, si sola παιδεία est studio digna, quid dicamus de reliquis *Educationis* partibus, γενέσει, τροφῇ, ἀγωγῇ; de quibus antea cum studio praeceperat: sed hic locus, ut totus fere libellus, ex rhetoricis ampullis manavit. Aliud deinceps subjicitur παράκουσμα: *duo haec in tota hominis natura sunt* κυριώτατα, νοῦς καὶ λόγος· neutrum, quid sit, explicatur: at laudatur rhetorice, effusa ampulla. P. 7, F: τὸ δὲ τοῖς λογισμοῖς περιεῖναι τῶν ἡδονῶν, σοφῶν· τὸ δὲ ὀργῆς κατακρατεῖν, ἀνδρὸς οὐ τοῦ τυχόντος ἐστί· gradatio ne rhetorice quidem justa, quippe à majore ad minus procedens: deinde σοφῶν major est munus, major facultas, quam *ratione vincere voluptates;* hoc enim σωφροσύνης est, tempe-

perantiae, ut item *iram continere:* at σωφροσύνη una est ex quatuor virtutibus, quarum conjunctione exsistit σοφία. Apparet ignorantia & confusio generum: à qua Scriptorem ne ita quidem liberare possis, si σοφῶν in σώφρονος mutes. Ergo hic cum caeteris error Scriptori relinquatur. P. 8, B; locum περὶ παιδείας peroratiuncula concludit, cum hoc initio: Καὶ περὶ μὲν παιδείας οὐκ οἶδ' ὅ, τι δεῖ πλείονα λέγοντα διατρίβειν· ubi duplex cernitur inscitia: primum, quod παιδείας multas partes silentio praeteriit, ut §. 1, ostendimus: deinde, quod continuo subjungit: *Sed praeter ea, quae diximus, utile, immo necessarium, est, comparare sibi Veterum libros.* An ergo librorum comparatio non est conjuncta cum παιδείᾳ? Si est; quare dicit, *se non scire quid amplius de παιδείᾳ dicat:* Sin contra; quare eam huic loco addit? Sed eam conjunctam cum παιδείᾳ esse voluit; quandoquidem eam mox ὄργανον παιδείας vocat. Praeceptum autem de librorum possessione comparanda ita effertur, ut nec pes nec caput ei constet: faciendam enim ait, κατὰ τὸ γεωργῶδες· τὸν γὰρ αὐτὸν τρόπον ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστί· καὶ ἀπὸ πηγῆς τὴν ἐπιστήμην τηρεῖν συμβέβηκεν· quod & verbis inficetum, & sententia ineptum, nec probabilem correctionis mutationem capit: quod suo loco in Animad-

madversionibus ostendimus. P. 10, F: *Mysteria ab Antiquis instituta sunt, ut hac exercitatione collectam facultatem taciturnitatis ad hominum arcana transferamus*; falsum, & ab rei natura & historiae fide alienum. P. 12, D: *Pueri à malorum hominum consuetudine sunt prohibendi: hoc & Pythagoras per aenigmata praecepit, quae apponam & explicabo:* his dictis novem subjungit Symbola, quorum non nisi primum & quartum ad rem praesentem pertinet: reliqua omnia aliena sunt. P. 13, F: *Adolescentes voluptatibus dediti, & reprehensionibus suorum minus obtemperantes, matrimonio constringantur: quod est tutissimum juventutis vinculum:* hoc ita simpliciter praeceptum, magis patrem è Comoedia, quam Plutarchum, & omnino hominem cogitate de hoc argumento praecipientem, deceat; propter multas, quas haec res habet, cautiones. Harum iste unicam, eamque fortasse minimi momenti, addidit: *uxor sit ejusmodi, quae maritum divitiis & nobilitate generis non multum superet; quippe qui tales ducunt uxores, non mariti, sed servi dotis fiunt.* Nulla mentio fit animi, ingenii, morum, virtutum muliebrium, quibus futuram matremfamilias instructam esse oporteat; quarum nisi ratio habeatur, pater filium matrimonio non corrigat, sed nepotes iisdem vitiis obnoxios quaerat.

Sec-

Sectio II, Part. I, Cap. II, *De Forma:* §. 1, *Distributio Materiae.* Forma duplex est: altera *rerum*, de qua nunc dicendum: altera *orationis*, de qua postea dicemus. Rerum forma continetur duabus partibus, *Distributione Materiae* & *Argumentatione.* *Materia* in distributione bifariam spectatur: vel tamquam *Disputatio* universe, cujus partes censentur Exordio, Tractatione, Epilogo, aliis: vel tamquam ipsa *res & quaestio*, disputationi proposita, quae est *Educatio Puerorum.* De utraque deinceps videamus.

I. Disputationis partes, suo quaeque habitu & modo, alienae sunt à Plutarchi consuetudine & ingenio. *Exordium* brevius & jejunius quam pro rei gravitate & momento, praesertim principum Philosophorum scriptis explicitae. *Tractatio* non habet certam viam & rationem: non adest definitio rei propositae, non status quaestionis & constitutio loci, non singularum partium majorum in minores divisio, non in argumentis nexus, non in exemplis apta cum argumentis convenientia: omnino disserendi ratio & copia Plutarchea nulla. *Epilogus* brevis, idemque cum praedictione conjunctus, plane abhorret à consuetudine Plutarchi: qui non subito, sed sensim, à tractatione ad conclusionem, progredi solet.

II. Educationis partes facit quatuor, *γένεσιν*, *τρο-*

τροφὴν, ἀγωγὴν, παιδείαν. Recte quidem. Sed singularum vim & naturam nec definiendo aperit, nec describendo significat: earumdem partes aut nullas, aut paucissimas, notat: ipsa tractatio earum & explicatio levior quam pro ipsarum pondere ac momento, & pro doctrina jam ab Antiquis exposita: quam iste non cognovisse videtur. Quid sit ἀγωγὴ, & qualem intelligi velit, ipse ignoravit. Porro, fines materiae minime cepit: qui περὶ παίδων ἀγωγῆς professus, deinde p. 12, A, ἐπὶ τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν transeat: amphora coepit Institui: currente rota cur urceus exit? Sed semel ad aetatem adolescentum progressus, quare non eo loco de philosophiae institutione egit? quare hanc contra omnem Antiquitatis morem attribuit pueris? Est hoc profecto ὕστερον πρότερον. Aliud est in hoc genere non minus praeposterum. Quatuor illae partes naturâ suâ hoc ordine procedunt; ut prima sit γένεσις, secunda τροφὴ, tertia ἀγωγὴ, quarta παιδεία. Mitto jam in unaquaque quot quantosque locos omiserit. De ordine videamus: γένεσις tractatur p. 1—2, A: transit inde ad ἀγωγήν, ibidem 2, A: ad τροφήν, 3, C: quam forte quis τροφὴν *pueri* exspectet: immo est τροφὴ *infantis*; docet, *praestare natis, à matribus, quam à nutricibus, ubera praeberi:* tum deinde p. 4, A, ad *aetatem* progreditur, *qua puer paedagogo tra-*

tradatur: quod eſt ipſum ἀγωγῆς· cujus grammaticam ſignificationem, ab iſto ignoratam, nos in Animadverſionibus aperuimus. Sed ita huc & illuc vagari, eſt ne, non dicam Plutarchi, ſed omnino viri cogitate & via disſerentis, nec potius pueri temere oberrantis?

Sect. II, Part. I, Cap. II. *De Forma:* §. 2. *De Argumentatione.* Hujus vis quae exſiſtere posſit ex ejusmodi via & itinere disputationis, facile eſt ad intelligendum. Sententiolae non ſunt invenuſtae ſingulae, ſed conſarcinatae nullo ad concluſionem apto nexu. Frequens digresſio ad locos communes, & rhetorica declamatio. Sed rationum nexus, ut ſaepe ex ipſa materiae vi & natura apparet, ita à Scriptore turbatus ſaepe, ſaepe quaeſitus ineptis formulis & comparationibus. Hujusmodi haec: P. 2, F, repetitio ejusdem formulae *καὶ τί δεῖ τ' ἄλλα θαυμάζειν*; & mox, *καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν*; P. 6, C: quum de inſtitutione doctrinae ita egisſet, ut eam univerſe ac declamatione laudaret, neque ullam omnino ejus partem verbo ſuo nominaret, jam monet ſe ſanam & incorruptam παιδείαν, non panegyricas nugas, commendare. Quo loco videtur rhetoricas exercitationes ſignificare; ſed ita omnia miscet, ut, quo illa monita pertineant, ne diligenter quidem attendens facile animadvertat. Sed hanc ipſam correctionem ita ſubjungit, ut de una

ex-

extemporali dicendi facultate dicat, & ejusmodi praefatiunculam praemittat, qua de aliis praeterea rebus dicere velle videatur: *πρὸς δὲ τούτοις τί ἂν τοὺς παῖδας χρηστὸν ἕτερον διδάξαιμεν, καὶ τίσιν ἀγαθοῖς ἐπιφύεσθαι παραινέσαιμεν;* Quid aliud est *πρὸς τούτοις* quam *praeterea?* Saltem dixisset, *ἀντὶ δὲ τούτων*, *horum loco:* vel denique, *πρὸς ταῦτα*, *adversus haec.* Caeterum, homo magis incogitantiâ, quam Graecae orationis ignorantiâ, labi solet.

Ibidem p. 6, C, interponit comparationem ineptam, & ipsius proposito disputationis contrariam: *Ante virilem*, inquit, *aetatem ex tempore non est dicendum. Ubi facultas oratoria radices egerit, tum ea libere uti licebit. Nam quemadmodum qui diu fuerunt vincti, postea soluti, ob diuturnam vinculorum consuetudinem titubant: ita qui orationem multo tempore constrictam tenuerunt, hi, etiamsi aliquando subito oporteat dicere, nihilo minus eamdem dicendi formam retinent.* Ista igitur comparatione voluitne commendare praeceptum, an quamdam ei cautionem adjungere? Utrumvis voluerit, inepta est comparatio. Et Graecis verbis quamcumque adhibeas medicinam, nulla ejusmodi reperitur, quae iis aliquam sanae sententiae rationem addat; ut hic item error non librario, sed auctori tribuendus sit. Denique cum in toto loco est

eſt ordo praepoſterus, & rerum doctrinaeque inopia & inanitas, cum fini praemittitur frigida & puerilis formula: *Βούλομαι δ' ἕως ἔτι μέμνημαι τῆς παιδείας, ὡς ἔχω δόξης περὶ αὐτῆς εἰπεῖν·* i. e: *Ac dum adhuc inſtitutionis memini, volo meam de ea ſententiam exponere.*

P. 8, F: *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ παρεφορτισάμην, ἵν' ἐφεξῆς καὶ τἄλλα τὰ φέροντα πρὸς τὴν ὀρθὴν τῶν νέων ἀγωγὴν συνάψω.* Duplex eſt rationis negligentia. Primum, quod hanc ſui defenſionem adverſus eos, qui eum ſolis divitibus praecepta dare inſimularent, ea de cauſſa ſe tamquam extraordinarium onus ſuscepisſe dicit, ut deinceps reliqua ad rectam adoleſcentum educationem facientia attexere poſſet. Quaſi vero ſine his non potuisſet ſequentia attexere. Alterum quod omnino ejusmodi formulam apponit: quae quamvis veram habuisſet ſententiam, tamen disputationis nexum turbaret.

P. 9, B: *Τί οὖν ἐστὶν ὃ βούλομαι λέγειν; ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον.* *Quid autem eſt, quod volo dicere? ut orationem exemplo dilucidiorem faciam.* Denuo interferenda rhetorica formula, orationis nexum turbat. Sed illud, *ut orationem exemplo dilucidiorem faciam*, quid ſibi vult? Nam ſine hoc, ſaltem illud prius, *Quid autem eſt, quod volo dicere*, aliquem ſenſum habuisſet. Et *λόγος* quidem eſt vel illud,

τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη· vel totum Caput. Sed quid eſt ἵνα? utrum ad antecedentia an ad ſequentia refertur? Si ad antecedentia; hic erit ſenſus: *Quid autem volo iſto dicto*, τὸ λίαν φιλεῖν κ. τ. λ., *quod ego attuli, ut disputationem exemplo dilucidiorem reddam.* Sin ad ſequentia; ſubaudiendum erit verbum *dicam*, aut ſimile: ut ſententia hunc in modum concipiatur: *Quid autem velim iſto dicto* τὸ λίαν φιλεῖν κ. τ. λ., *dicam, & iſtud dictum exemplo dilucidius faciam.* Neutra ſententia cum recta grammatica ratione convenit. Porro, quid eſt, παραδείγματι? quid eſt, τῷ? nam Articulus habet ſignificationem certae cujusdam rei & quaſi demonſtrationem *hoc exemplo.* Quodnam eſt *hoc exemplum?* Aut, ſi, omisſo Articulo, accipiamus *exemplo* univerſe, id eſt *quodam exemplo*, denuo interrogo quodnam ſit illud *quoddam exemplum?* An eſt illud in ſequentibus poſitum, *ut ſtirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus ſuffocantur; ſic animus moderatis creſcit laboribus, nimiis obruitur.* At hoc, interjecta demum alia dictione, ſubjicitur; ut minus probabiliter, per grammaticam quidem rationem, pro eo exemplo accipi posſit, quod Scriptor ſpectavit. Deinde alia etiam apponuntur exempla; ut potius τοῖς παραδείγμασι dicendum fuisſet. Quam correctionem etiamſi facias, reliquas difficultates non

non tollas. Adeo totum locum temeritas & perturbatio occupavit.

P. 9, D. *Memoriam puerorum exercendam esse*, praecipit suo more, id est universe, & cum rhetorica laudatione ipsius memoriae; ut verus Plutarchus omnino desideretur; qui varias rationes memoriae exercendae recensuisset ac dijudicasset: easque duxisset cum ex animi natura, tum illustrasset ex Pythagoricorum & Aristotelis doctrina, & illa apud Rhetores pervulgata Simonidis arte. Hoc autem praeceptum supra, in Capite περὶ παιδείας, ponendum erat.

P. 14, B: Exemplum Eurydices item alieno loco positum, in Capite περὶ παιδείας prodendum fuerat.

Argumentationis genus est etiam positum in citandis aliorum auctorum testimoniis. Quod ut est frequens in vero Plutarcho, ita conjunctum cum certa quadam ratione, qua plane Plutarchea forma & proprietas cernitur. Veluti, ut hoc uno utar, Plutarchus habet τὸ φιλευριπίδειον, Pseudo-Plutarchus item aliquoties Euripidis sententias apponit: sed in utroque quantum differt. In Plutarcho est quaedam consuetudinis & familiaritatis facilitas; ut sententiae ei sponte in mentem venisse & in orationem influxisse videantur: in Pseudo-Plutarcho apparet novitas, quaerentis labor, & quasi vultus nitentis: hujusmodi

 sunt

sunt fere formulae, per quas praefatur sententiae citandae, & veluti aditum sibi ad ejus recitationem aperit: v. c. p. 1, B: καὶ σοφὸς ἦν ἄρα ὁ ποιητὴς ὅς φησιν, κ. τ. λ.: mox ibidem: tum p. 6, B: 10, A: 11, F: & in aliis citandis, alibi.

Pars II, *De Stilo & Oratione.* Stilus, quae item dicitur oratio, & forma dicendi scribendive, duabus partibus continetur: quarum altera singulis in verbis, altera in eorum constructione & toto habitu cernitur.

Part. II, Caput I, *De singulis verbis.* Sunt in hoc libello verba eaque rariora, quae non apud Plutarchum exstent, ad quadraginta & sex. Quod sane in tam parvo libello & tanta librorum Plutarcheorum multitudine ejusmodi est, ut inde dubitatio de auctore ducta, nisi maximi, certe non minimi momenti ducenda sit. Et multo majorem numerum colligere poteramus; si allegissemus cum vulgaria & communi usu trita, tum, quorum themata saltem sunt in Plutarcho, veluti παρέγγραπτος, cujus thema παρεγγράφω in germanis ejus libris legitur: tum ea, quibus utitur quidem Plutarchus, sed potestate & significatione diversa. Quorum omnium cum numero augetur etiam suspicio de ipsius diversitate auctoris.

Part. II, Cap. II, *De Verborum Nominumque significatione, compositione, formulis, dictionibus.*

bus. Hoc in genere multa cum prava & minus proba, tum à Plutarchi ſtilo aliena, libellus hic habet. Plutarchus habet ille quidem ſubinde rariora & à vulgari uſu remota vocabula, ſed non ut ea ſtudioſe quaerat, ſed ut per multiplicis doctrinae ac lectionis abundantiam oblata accipiat, & ad ſententiae ſuae vim rationemque accommodet: eamdemque prudentiam modeſtiamque ſequitur in formulis ac dictionibus. Scriptor hujus libelli, his in orationis partibus fere ſine judicio exquiſitiora quaeque & argutias conſectatur. Hujusmodi ſunt: P. 1, C: *μεγαλαυχίας ἐμπίμπλανται καὶ φρυάγματος*· quorum poſtremum, ut ſonantius & ornatius, arripuit pro ſimplici illo *φρονήματος*, quod Plato, quem imitari videtur, aliique in hac dictione frequentant. Ibid. D: *μικρὰν τὸ μέγεθος γυναῖκα*: nusquam dixit Plutarchus. Herodoteum eſt, indeque Sophiſtis, maxime Aeliano, frequentatum. Plutarchus in eadem re, Ageſil. p. 596, F, dixit ſimpliciter *μικράν*. P. 2, F: repetitio ejusdem formulae, *καὶ τί δεῖ τ' ἄλλα θαυμάζειν*; & mox, *καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν*; ex perverſo elegantiarum ſtudio profecta: ad idemque genus referenda ſunt, quae notavimus Part. I, Cap. II, §. 2. P. 3, A: *πρὸς ἀρετῆς κύησιν*, *ad partum virtutis*, ineptum, ut exquiſitius, ſuſcepit; niſi forte ſcripſit *κτῆσιν*. In vero Plutarcho dicere-

mus illud librarii vitium, in hoc mutandum esse: in Pseudo-Plutarcho affirmare idem non licet. P. 5, D: ὁ πολὺς πλοῦτος σκοπὸς ἔκκειται τοῖς βουλομένοις βαλλάντια τοξεύειν· i. e: *magnae divitiae, tamquam scopus, expositae sunt iis, qui crumenas jaculari volunt:* spreto vulgari βαλλαντιοτομεῖν; ut argutia & comparatio constaret ad σκοπὸν referenda, finxit ineptum & frigidum istud βαλλάντια τοξεύειν. P. 9, C: οὐ μόνον ἡ ἐγρήγορσις, ἀλλὰ καὶ ὕπνος εὑρέθη. Quasi somnus & vigiliae aliquando *inventa* essent, antea ignota fuissent. In comoediam istud cadat & jocum, non in seriam scriptionem; nam quod εὑρίσκειν, *invenire*, nonnumquam pro *comparare*, *acquirere*, *nancisci*, dicitur, hunc locum non ab ineptiae nota liberat. P. 11, F: τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν, *humanorum arcanorum fidem*, dixit studio argutiae, contra Graecam consuetudinem, qua rei notitia alicujus homini fidei ac taciturnitati commissa, non μυστήριον, sed ἀπόρρητον, *arcanum*, dicitur. P. 14, C: συμπεριλαβεῖν τὰς παραινέσεις, eo sensu, quem hic locus postulat, *monita facto exsequi*, non est probum.

Jam in figuris apparet studium concinnitatis & venustatis, ut frigidum & à re alienum, sic magis etiam à Plutarchi consuetudine abhorrens; qui aut paucissimas aut nullas habet figuras, certe-

nus-

nusquam eas consectatur. Hujusmodi locos partim supra notavimus Sect. II, Part. I, Cap. I, §. 2: & Cap. II, §. 2: partim proximo Capite notabimus.

Cap. III, *De orationis habitu & compositione.* Plutarchea oratio constat fere enunciationibus longioribus, ductis continuatisque minorum enunciationum, tamquam partium, comprehensione: neque sane habet aut facilitatem aut simplicitatem: non multum dissimilis Thucydideae formae, vel Platonicae illi alteri difficiliori, de qua nuper diximus in Praefatione ad Phaedonem. At in hoc libello plane est diversa compositio: enunciationes plerumque breves, saepe concisae; forma propemodum Isocratea ex genere ejus *παραινετικῷ*: quod enunciationum conformationem aliquanto habet minus diductam, magisque adstrictam: item tamen *παρισώσεις*, *ἀντίθετα*, & omnino *τὴν εὐρυθμίαν διώκει*, ut verbis utar Dionysii Halicarnassensis in Judicio de Isocrate §. 2 & 3. Nam de reliqua forma, qua hic libellus ab Isocratea differt, non dico: veluti, de frequentia in aliorum Scriptorum locis apponendis, quae omnino in aetatis Isocrateae ingenium nondum cadebat: neque de curiositate in consectandis verbis vetustate aut novitate insignibus, quibus doctrinae species & legentium admiratio quaeratur: à quo vitio integra omnino & immu-

 nis

nis est Isoctatea dictio: at non omnino hic libellus. Hunc in habitu & compositione orationis dico prodere juvenem rhetorisſantem, & Isocratea exempla redolentem. Videamus deinceps nonnullos hoc in genere locos.

P. 1, F: *ὧν ἂν τὴν ἀρχὴν τῆς σπορᾶς οἱ πατέρες ἐν μέθῃ ποιησάμενοι τύχωσιν.* Verborum redundantia, nullo cum sententiae emolumento! Poterat breviter dicere, *οὓς ἂν οἱ πατέρες ἐν μέθῃ γεννήσωσι*, vel *σπείρωσι*. Rhetoricus est lapsus, *ἀπότευγμα* oratorium. Quaerens variationem & gravitatem, incidit in verborum diluvium.

P. 3, B. De duobus canibus à Lycurgo in concionem productis, *ὁ μὲν ἐπὶ τὸν λαγωὸν ἤϊξεν, ὁ δὲ ἐπὶ τὴν λοπάδα ὥρμησε.* Scire velim quae sit differentia inter duo haec verba: non quod omnino nulla sit: sed quae hoc in loco esse possit: quare alter *ἤϊξεν*, alter *ὥρμησε.* Nimirum hoc est à Scriptore antithesin & concinnitatem affectante. Poterat alterutrum omittere, veluti *ἤϊξεν* omiserunt in eadem re narranda Plutarchus Apophthegm. Lacon. p. 225, F: Nicolaus Damascenus Excerpt. Valesian. p. 449. Est haec Isocratea figura una omnium frequentissima. Veluti in principio Orationis ad Demonicum, quae, nisi magistri, certe discipuli est: *Ἐν πολλοῖς μὲν, ὦ Δημόνικε, πολὺ διεστώσας εὑρήσομεν τάς τε τῶν σπουδαίων γνώμας, καὶ τὰς τῶν*

φαύ-

φαύλων διανοίας· quid eſt, quod bonis γνώμη, malis διάνοια tribuatur? Totum exordium conſtat fere ſententiis hac figura incluſis. Quarum etiamſi ratio appareat, ut in hac proxima: οἱ μὲν γὰρ τοὺς φίλους παρόντας μόνον τιμῶσιν· οἱ δὲ καὶ μακρὰν ἀπόντας ἀγαπῶσιν· tamen ipſa frequentia vitioſa eſt. Sed multarum ratio nulla apparet: veluti ſuperioris, & hujus proximae: ὁρῶ δὲ καὶ τὴν τύχην ἡμῖν συλλαμβάνουσαν, καὶ τὸν παρόντα καιρὸν συναγωνιζόμενον. Nonne τύχη & καιρὸς, *fortuna* & *occaſio*, tam συναγωνίζεται, quam συλλαμβάνει. Tales ſunt multae in libello *De Educatione* antitheſes, in iisque haud paucae inanes: v. c. p. 2, B: ἡ μὲν γὰρ φύσις ἄνευ μαθήσεως, τυφλόν· ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως, ἐλλιπές· ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν, ἀτελές. Primum membrum non improbo: ſed in ſecundo, quare tantummodo δίχα φύσεως, nec etiam δίχα ἀσκήσεως, dicatur ἐλλιπὲς esſe ἡ μάθησις? deinde, quare potius ἐλλιπὲς quam ἀτελές? nec tertio ſatis ratio conſtat; ſi quidem ἀτελὲς non ſufficit ſignificandae rei: & ἀσκήσει non proficiscenti à natura & inſtitutione plus deerit, quam τὸ τέλος.

Ex rhetorica etiam conſuetudine fluxerunt formulae illae ſolemnes in tranſitionibus ad aliud argumentum, Plutarcho non uſitatae: v. c. p 3, A: Ἑνὶ δὲ περὶ τούτων παραδείγματι χρησάμενος,

νος. ἀπαλλάξομαι τοῦ ἔτι περὶ αὐτῶν μηκύνειν. Plures notavimus Sect. II, Part. I, Cap. II, §. 2.

Rhetorica item est *κακοζηλία* & gravitatis affectatio in citandis auctorum sententiis praemissâ praefatiunculâ: ut ostendimus ibidem, sub finem.

P. 4, D: *Ζεῦ καὶ θεοὶ πάντες* —; Exclamatio aliena à Plutarchi ingenio.

P. 5, C. De recta *παιδείᾳ* dicere ingressus, eam nec definit, nec describit, nec suis partibus distribuit: sed ad ejus laudationem se dat, nobisque veluti Chriam rhetoricam apponit, similem illi Virtutis laudationi in exordio Orationis ad Demonicum.

P. 7, D. Similis est laudatio Philosophiae: nec definitio, nec distributio: nil de Dialectica & Physica: Moralis pars laudatur rhetorice, locis communibus, nulla argumenti explicatione, disserendi ratione nulla.

P. 8, B: *Οὕτως ἐπολιτεύσατο Περικλῆς· οὕτως Ἀρχύτας ὁ Ταραντῖνος· οὕτω Δίων ὁ Συρακούσιος· οὕτως Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος· κ. τ. λ.* Haec est ratio rhetorissantis, non philosophantis, nec certe Plutarchi.

P. 13, A: *Τοῖς παισὶ τοῖς πλουσίοις οἱ πατέρες νήφειν παραινοῦσιν, οἱ δὲ μεθύειν· σωφρονεῖν, οἱ δὲ ἀσελγαίνειν· φυλάττειν, οἱ δὲ δαπανᾷν· κ. τ. λ.*

κ. τ. λ. hae & aliae ſunt antitheſes patrum & adulatorum. Sequuntur eadem pagina, E, patrum ſecum ipſis — ἐφείσω ποτὲ, ἀλλα καὶ χορήγησον· ἠγανάκτησάς ποτε, ἀλλὰ καὶ σύγγνωθι· κ. τ. λ. nam quatuor deinceps aliae ingeruntur. Haec admonitionum brevitas cui videatur Stoici, maxime Epictetei, characteris, esse: ſane, ſi brevitas ſponte nata appareret. Nunc illa curioſitas in paritatis & figurae continuatione quemvis potius rhetorem, quam aut philoſophum, aut omnino Plutarchum, prodit.

Ergo Heuſingeri opinio putantis, propter hanc orationis brevitatem, hunc libellum à Plutarcho jam ſeniore ſcriptum eſſe; opinio fuit adoleſcentis nullo dum uſu Plutarcheae ſcriptionis ſubacti. Haeccine fuerit Plutarchi ſenectus, tam diverſa ſtilo, tam rerum inops. Et adoleſcentiae & ſenectuti ipſa natura & aetas redundantiam adfert: illi in verbis, figuris, & ſententiarum luminibus: huic in commemoratione rerum admonitionumque, vel à doctrinae copiis, vel ab experientiae obſervatione, oblatarum. Juveniles ſunt ſcriptiones Plutarchi, *Conſolatio ad Apollonium*, *Reprehenſio Herodoti*: ſenilis, ne alias dicam, *De Rep. à Senibus Gerenda.* In utriſque tamen Plutarchum agnoſcas, cum aliis in partibus, tum in copiae abundantia. Platonis libros De Legibus, Iſocratis Panathenaicum,

Li-

Libanii Orationem De Vita Sua, ut Ciceronis aliorumque scripta ne memorem, hos igitur libros quamvis ab auctoribus aetate provectis scriptos, quis dicat orationis compositionem habere adstrictam & concisam?

Legat quis, Plutarcheae formae ac rationi adsuetus, hujus libelli locos, qui in veris item Plutarchi libris narrantur, & utrosque inter se comparet; reperiet profecto, eos non minus stilo & oratione, quam rebus & materia à se invicem discrepare. Veluti hujus libelli P. 1, C, *de Themistoclis filio*, cum Vita Themist. p. 128, B. Ibid. D, *de Archidamo*, cum Vita Agesilai p. 596, F. P. 3, A, *de Lycurgo*, cum Apophth. p. 225, F. P. 5, F, *de Stilpone*, cum Vita Demetrii p. 893, A. P. 6, C, *de Pericle ac Demosthene*, cum Praecept. Reip. Ger. p. 803, F. P. 10, B, *de Gylippo*, cum Vita Lysandri p. 442, B: & Niciae p. 541, F. Ibid. D, *de Archyta & Platone*, cum Ser. Num. Vind. p. 551, A, B: Colot. p. 1108, A. P. 11, A, *de Theocrito Chio*, cum Sympos. p. 633, C. P. 11, C, *de puerorum amore* cum libro *Amatorii* nomine inscripto. P. 12, A, *de necessitate custodis*, cum libro De Audiendis Philosophis. P. 13, A, *de Adulatoribus*, cum libro De discernendo Adulatore ab Amico.

Con-

Conclusio. Ergo vidimus istiusmodi hunc esse libellum; ut, si in *rebus* Plutarcheae omnino esset formae, *stilus* eum spurium argueret: si *stilus* esset Plutarcheus, *res* diversum Scriptorem proderent. Quis igitur ejus est Scriptor? Nescio: Plutarchum non esse, scio. Illud fortasse verisimile sit: eum adolescentem fuisse rhetoricis scholis institutum, primo apud alios magistros, deinde apud Plutarchum; neque illud satis diu ut aliquem ab eo colorem & habitum contrahere posset; recentem igitur in rhetoricis scholis discipulum, philosophiae adhuc sive rudem, sive ignarum: certe vix primis initiis & protrepticis rationibus imbutum. Plutarchus fortasse discipulis dederit thesin, id est, scribendi argumentum, *τί τὶς ἂν ἔχοι εἰπεῖν περὶ τῆς τῶν ἐλευθέρων παίδων ἀγωγῆς, καὶ τίνι χρώμενοι σπουδαῖοι ἂν τοῖς τρόποις ἀποβαῖεν;* Haec est ipsa rhetorum formula in argumentis Declamationum & *ἠθοποιϊῶν·* veluti *τίνας ἂν λόγους εἴποι Ἀχιλλεύς*, vel alius: cujus formulae exempla videantur in Libanii T. I, Indice praefationi subjecto: Anthologiae Brodaei p. 14, & 452. Discipulus huic thesi adjecerit, *φέρε σκεψώμεθα:* tum tractationem subjecerit. Epilogus autem, *Τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν παραινέσεις, εὐχῆς ἴσως ἔργον ἐστί· τὸ δὲ τὰς πλείους ζηλῶσαι, καὶ αὐτὸ μὲν εὐμοιρίας δεόμενόν*

νόν ἐστι καὶ πολλῆς ἐπιμελείας· ἄνυστὸν δ' οὖν ἀνθρωπίνῃ φύσει καθέστηκεν. Epilogus igitur plane videtur continere magiſtri judicium ſcripto discipuli ſubſcriptum: omnino & forma & habitu accedit ad orationem Plutarchi, excepto uno verbo συμπεριλαβεῖν· quod ſi à discipulo profectum ſtatuamus, minime à veriſimilitudine abhorrere videbitur, Epilogum à Plutarcho adjectum esſe: itaque exemplum hujus Chriae inter Plutarchi ſcripta relatum, poſtea cum iis ſub ejusdem nomine vulgatum esſe.

Plutarchum Rhetoricam tractasſe cum Philoſophia conjunctam, more Academicorum & Peripateticorum in utramque partem disputandi, multis documentis conſtat. De rhetorico ejus ſtudio dicitur in libro *De Solertia Animalium* p. 959, C, ex libro perdito *De Venatione.* In eodem genere ſunt, libri *De Primo Frigido: Aquane an Ignis utilior ſit: De Carnis Eſu: De Alexandri Virtute: De Romanorum Fortuna:* & perditi, in Catalogo Lampriae proditi. Num. XL, XLI, XLIII, XLV, LXXXV, CXCV, CCII, CCVIII.

Itane, dicat quis, nullam huic libello laudis utilitatisque partem relinquis? Non equidem prorſus abjiciendum cenſeam. In ſpuriis haud poſtremo eſt loco: melior & antiquior eſt illis *De Nobilitate*, *De Fluviis*, *Parallelorum Gr. & R.*

R., ſcriptiunculis. Habet laudem ut adoleſcentis Chria: habet in illa orationis mediocritate & doctrinae levitate tamen aliquam cognitionis utilitatem & jucunditatem, ſemel legendo percipiendam: non creſcentem repetita lectione, qui eſt fructus germanorum Plutarchi librorum, & optimi cujusque Veterum: ſed magis magisque decreſcentem illam ac deficientem. Legatur à provectioribus, ipſius cognoſcendi libelli cauſſa: non ad argumentum de *Educatione & Inſtitutione*, vel ex ipſius natura & ratione, vel ex Antiquitatis more intelligendum. Non proponatur tironibus, ut fere fit; neque, quod recte jam reprehendit Cellarius Disſert. Acad. p. 708, ad inſtitutionem orationis Graecae: neque ad formandum antiquae elegantiae ſenſum: neque denique ad notitiam & conſuetudinem cum Plutarchi ſcriptis contrahendam.

II.

D. W.

DIATRIBE DE PHILOXENIS.

Plutarchei libri, *Quomodo Adolescens Poetas audire debeat*, hoc est principium: Εἰ μὲν ὡς Φιλόξενος ὁ ποιητὴς ἔλεγεν, ὦ Μάρκε Σήδατε, τῶν κρεῶν τὰ μὴ κρέα ἥδιστά ἐστι, καὶ τῶν ἰχθύων οἱ μὴ ἰχθύες, ἐκείνοις ἀποφαίνεσθαι παρῶμεν, οἷς ὁ Κάτων ἔφη τῆς καρδίας τὴν ὑπερῴαν εὐαισθητοτέραν ὑπάρχειν. i. e: *Quod Philoxenus poeta dixit, M. Sedate, eas carnes suavissimas esse, quae carnes non sint, itemque pisces, qui pisces non sint: de eo pronunciare sinamus istos, quos palato plus sapere, quam corde, ajebat Cato.* Quo loco editionis nostrae lectores rejecimus ad peculiarem de Philoxenis scriptionem à nobis brevi edendam: eamque nunc hoc loco edimus.

Additum est à Plutarcho ὁ ποιητὴς, ut ab aliis Philoxenis hic distingueretur: & simul significationem praebet, in ea fuisse Plutarchum sententia, non plures fuisse hoc nomine poetas, sed unum patria Cytherium, Dionysii majoris Syracusani familiarem, vulgo Dithyrambicum, non-

num.

numquam Lyricum, Tragicum, aut Melicum, cognominatum.

Complures à Veteribus Philoxeni memorantur, ut librorum ſcriptorum, aut feſtive dictorum factorumve, auctores. In his ſunt quatuor gulae ac ventri dediti, à quorum ingenio hoc dictum non abhorret: Cytherius, poëta nobilis: Eryxidis filius: duo paraſiti, alter patria Leucadius, alter cognomine Pternocopis. Sed hoc dictum tribuendum eſt nobili illi poëtae, cum hac Plutarchi auctoritate, tum quod plane argutia haec convenit in ejus Δεῖπνον, elegans poëma, laudatum Athenaeo compluribus inde appoſitis locis, & imitando expresſum ab Horatio Satirarum II, 4, *Unde & quo Catius?* Caeterum, diverſos Philoxenos jam Antiqui adeo permiscuerunt & confuderunt, ut eos accurate diſtinguere difficile ſit negotium, cui recentiores nondum ſatisfecerint. Neque id egerunt ſcriptores Hiſtoriae Literarum eruditisſimi. Nam G. J. Vosſius De Poëtis Gr. Cap. VII, Opp. Tom. III, p. 222, de uno, Cytherio poëta refert. J. Meurſius ad Heſych. Mileſ. p. 128, tres exhibet: poëtam Cytherium, Leucadium paraſitum, grammaticum: una ille quidem Suidae auctoritate contentus. J. A. Fabricius Biblioth. Gr. Tom. I. p. 686, ubi de Cytherio poëta agit, unum addit, quem ab illo diſtinguat, Philoxenum Pterno-

nocopin. Majore diligentia, minore tamen is perſpicuitate, argumentum tractavit, magnus vir, Jac. Perizonius ad Aelian. Var. Hiſt. X, 9: quatuor faciens Philoxenos, duos poëtas, Cytherium illum Dithyrambicum eumdemque helluonem: alium Melicum: duos helluones, Cytherium illum Dithyrambicum, quem eumdem eſſe credit Leucadium Philoxenum: alium helluonem Eryxidis filium. Haec enim, quoad ejus perſpicere poſſum, Perizonii eſt ſententia. Atqui hi non quatuor, ſed tres, ſint Philoxeni; quandoquidem Cytherius poëta eſt alter helluonum. Denique his addit alium Philoxenum, Siphnium, unde *σιφνιάζειν* dictum eſt, *τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι*, auctore Polluce IV, 65. Qua in diſputatione duo ſunt, quae mihi non probet Perizonius: primum, quod Melicum diverſum facit a Cytherio, idque propter unum ejus prudens ac ſobrium dictum, apud Plutarchum, in libello de Vitando Aere Alieno p. 831, F: *Φιλόξενος ὁ μελοποιὸς ἐν ἀποικίᾳ Σικελικῇ, κλήρου μετασχὼν καὶ βίου καὶ οἴκου πολλὴν εὐπορίαν ἔχοντος, ὁρῶν δὲ τρυφὴν καὶ ἡδυπάθειαν καὶ ἀμουσίαν ἐπιχωριάζουσαν, Μὰ τοὺς θεοὺς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα· Καὶ καταλιπὼν ἑτέροις τὸν κλῆρον ἐξέπλευσεν.* Quaſi vero factum hoc in Sicilia & *μελοποιοῦ* non manifeſto conveniat in Cytherium

rium Dithyrambicum; aut quasi ab hominis luxuriosi ingenio abhorreat: de quo tamen constet, eum in lapicidinis habitare maluisse, dum ne Dionysio praeter decorum adularetur, ejusque carmina laudaret. Alterum est de Philoxeno *S*iphnio; quippe cujus nomen dubium redditur varietate lectionis, quae est apud Suidam Voc. Χιάζειν: quem à Kustero minus intellectum recte interpretatus est J. Toupius Emend. Suid. P. III. p. 377: ubi vocatur *Theoxenides*: quod nomen pro vitioso Φιλοξένου in Pollucis loco restituendum monuit eruditissimus J. Jonsius De Scriptorib. Hist. Phil. I, 14, 8, p. 90: & verisimile est, ab imperito librario nomen minus notum *Theoxenidis* in magis notum, & ab innovatione Musicorum modorum & reliqua fama celebratum, *Philoxeni* mutatum fuisse.

Caeterum è recentioribus, etiam ante hos nobis jam laudatos, de Philoxeno poëta egit Lilius Gyraldus Historiâ Poëtarum, Dialog. IX, p. 478, addens aliquid admonitionis in cognominibus distinguendis, ac praeter hunc tres alios prodens, unum Cyrenaeum, alterum Eresium parasitum, Leucadii filium à Suida dictum, Eryxidis à Plutarcho: tertium grammaticum. De postremo hoc nemo dubitat: at in duobus prioribus Gyraldus & ipse turbavit, & mendosis librorum lectionibus deceptus est. Narravit

etiam Muretus jucunde ad legendum, nec tamen ad distinguendos cognomines accommodate, in Commentario ad Aristotelis Ethic. L. III. editionis Ruhnkenianae T. III, p. 298. Denique post Perizonium, de Philoxeni poëtae cognitione bene mereri voluit doctus Gallus Burettius in annotationibus ad Plutarchi librum de Musica proditis in Commentariis Academiae Inscriptionum, Tomo XIII, p. 200: & sane suo more narratoris jucundi partes egit: monens in fine disputationis, de diversis Philoxenis discernendis consulendum esse Perizonium, loco memorato, ad Aelian. Var. Hist. X, 9.

Equidem non id ago, ut hanc nunc quaestionem pertractem; quippe quae ampliorem scriptionem desideret: neque tamen facere possum quin ex adversariis ea depromam, quae futuro hujus argumenti scriptori prosint.

Duo sunt praecipui hujus cognitionis fontes, Athenaeus, & Suidas.

Hic in voce *Φιλόξενος* tres numerat: Cytherium, Lyricum poëtam: grammaticum: Leucadium, parasitum. In horum postremo non habet propriam auctoritatem, quippe totum locum ex Athenaeo, I, p. 5, & 6, sumsit. Et quae ibi traduntur partim cum dubitatione, utrum ad Leucadium an ad Cytherium referenda sint, partim diserte Cytherio adjunguntur, veluti illud

lud in coena Dionysii, p. 6, E: ea omnia Leucadio tribuit. Porro idem Suidas de utroque similia quaedam narrat ejusmodi, ut appareat ea in unum eumdemque hominem convenire. Vterque dicitur gulosus, uterque apud Dionysium tyrannum degisse, uterque Ephesum abiisse, uterque dithyrambicus fuisse: quamquam hoc postremum diserte proditum ab Athenaeo p. 6, A, Suidas caetera describens omisit. Cytherium quidem in Joniam venisse, & Colophonem adiisse, Hermesianax quoque testatur apud Athenaeum XIII, p. 568, E. Ergo apparet, Suidam res Cytherii proprias cum Leucadio communicasse; & quaestionis explicationem ab unius Athenaei auctoritate ejusque diligente interpretatione repetendam esse.

Hic Leucadium non nisi duobus nominat locis: primo, I, p. 5, B: Τοῦ Φιλοξένου δὲ τοῦ Λευκαδίου Δείπνου Πλάτων ὁ κωμῳδοποιὸς μέμνηται: subjungitur locus Platonis in quo simpliciter vocatur Philoxenus, nullo addito cognomine: altero IV, p. 146, F: Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ· εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου. i. e: *si modo is Philoxenus est, cujus meminit Plato Comicus in Phaone, ac non Leucadius:* dubitans dixit de auctore poëmatis Δείπνου, ac respiciens ad supe-

 rio-

riorem Platonis locum: neque adeo reprehendendus erat interpres Latinus à Perizonio. Ac priore loco, quum multa veterum Scriptorum de Philoxeni luxuria referantur testimonia, nullum horum habet Leucadii nomen: quae persequi longum nec opus est. Igitur eo inducor, ut Leucadium alterum quoddam cognomen Cytherii Philoxeni fuisse putem, ortum illud fortasse à civitate Leucade in quam migraverit: ut Herodoto & Halicarnasseo & Thurio fuit cognomen: aut natum ex nomine *Eryxidis* patris alterius Philoxeni helluonis: certe, Leucadium eumdem quem Cytherium esse arbitrer, quod jam Perizonius suspicatus est. Poëma Δεῖπνον sub nomine auctoris Philoxeni Cytherii & Dithyrambici ipse citat Athenaeus, XI, p. 476, E: 487, A: XIV, p. 642, F: XV, p. 685, D: alibi uno sub nomine Philoxeni; IX, p. 409, E: & Aristoteles apud eumdem Athenaeum in libro perdito, unde ejus verba adferuntur, I, p. 6, D. Nec dubitandum, quin Veteres, ubi simpliciter Philoxenum ut poëtam aut gulosum memorant, eximie hunc Cytherium significent: nisi si iidem eamdem rem aliis locis alii Philoxeno tribuerint. Veluti animadvertere licet in *Philoxeno Eryxidis*. Hujus optatum, *ut guttur sibi gruis*, aut, ut alibi traditur, *trium cubitorum fieret*, exstat apud Aristotelem Ethic. ad Ni-

Nicom. III, 10: εὔξατό τις Φιλόξενος Ἐρίξιος, ὀψόφαγος ὤν· *quidam* significat eum caeteroquin minus clarum, ac diversum ab illo πάνυ poëta fuisse: Eudem. III, 2: ὥσπερ Φιλόξενος ὁ ἐξ ὕριδος, quod Sylburgius recte corrigit ὁ Ἐρύξιδος: idem optatum Problem. XXIX, 28, 6, simpliciter Philoxeni nomine ponitur. Eryxidis apponit nomen Theophilus apud Athenaeum I, 6, A. Tribuit tamen Cytherio Machon apud eumdem VIII, p. 341, D. Eryxidis Philoxenum ὀψόφαγον memorat & Plutarchus Opp. Mor. p. 668, C: 1128, B: & sine nomine Eryxidis apud Stobaeum p 394. Aeschines Socraticus in dialogo Callia, ubi Φιλόξενον τὸν Ἐρύξιδος, discipulum Anaxagorae fuisse prodidit, apud Athenaeum V, p. 220, B. Aristophanes Ran. 934, Φιλοξένου Ἔρυξιν nominans significare videtur cum habuisse filium avi cognominem. Hujus gulose facta dictaque pleraque in poëtam Cytherium, ut fere aequalem tempore, & gulae studio non dissimilem, collata fuisse, credibile est.

Ergo nostra quidem sententia hi distinguendi sunt Philoxeni. Primus ac princeps, poëta Melicus & Dithyrambicus, Cytherius idem & Leucadius cognominatus. Secundus, helluo, Eryxidis filius. Tertius, parasitus, cognomine *Pternocopis*, cujus facete dicta ferebantur multa: ut

colligitur ex Veterum de eo testimoniis apud eumdem Athenaeum VI, p. 239, F: 241, E: 242, B, C: 246, A. Quartus, grammaticus satis ille cognitus. Quintus, scriptor de Ventis, quod suspicari licet ex Theophrasto De Ventis p. 410: nisi forte poëta Philoxenus significatur. Sextus, medicus a Celso proditus in praefatione libri VII. Septimus, Eretrius, pictor, aetate Cassandri, apud Plinium H. N. XXXV, 36, §. 22. Octavus tibicen, quem nominat Polyaenus VI, 10: modo valeat hujus auctoritas, neque auctor, quem sequitur, deceptus sit opinione de Cytherio Philoxeno. Alios non scriptis, aut ingenio & arte, commendatos recensere nil attinet. Carminum reliquias, quae in Veterum monumentis sub Philoxeni nomine feruntur, uni potius eidemque Cytherio poëtae, quam diversis, tribuendae videntur. Eas colligere, emendare, digerere, & auctoris vitam diligenter enarrare, operae sane pretium sit, & argumentum conveniens studio docti juvenis, qui eo pertractando cum ipse proficiat, tum aliis prosit.

CEN-

CENSVRAE.

I.

HISTOIRE *de l'Académie Royale des Inscriptions & Belles-Lettres, avec les Mémoires de Littérature, tirés des Registres de cette Académie, depuis l'année* MDCCLXXXIV, *jusqu'au* 8 *Août* MDCCXCIII. *Tome quarante-septième: à Paris: de l'Imprimerie Impériale.* MDCCCIX. 4.

MÉMOIRES *de Littérature tirés des Registres de l'Académie Royale des Inscriptions & Belles-Lettres: depuis l'année* MDCCLXXXIV, *jusques & compris l'année* MDCCXCIII. *Tome quarante-huitième: à Paris: de l'Imprimerie Impériale.* MDCCCVIII. 4.

MÉMOIRES —— *Tome quarante-neuvième* —— MDCCCVIII. 4.

MÉMOIRES —— —— *Tome cinquantième* —— MDCCCVIII. 4.

i. e.

Historia Academiae Regiae Inscriptionum & Humaniorum Literarum: cum

cum Commentariis literati argumenti, depromtis ex Actis hujus Academiae, ab anno MDCCLXXXIV, *usque ad anni* MDCCXCIII *diem* VIII *mensis Augusti. Tomus* XLVII. *Parisiis.* — MDCCCIX. 4.

Commentarii de argumentis literatis, depromti ex Actis Academiae Regiae Inscriptionum & Humaniorum Literarum, compositis per novem annos ab anno MDCCLXXXIV *ad* MDCCXCIII. *Tomus* XLVIII. *Parisiis* — MDCCCVIII. 4.

Commentarii caet. —— *Tomus* XLIX. MDCCCVIII. 4.

Commentarii caet. —— *Tomus* L. *ad* MDCCCVIII. 4.

Haec ultima sunt quatuor volumina magni operis, ad absolutionem nonnisi Indices desiderantis, quos brevi se item edituros pollicentur Deburii librari, viri honestissimi. Nam tria proxime superiora volumina prodierunt anno MDCCXCIII, quo maxime Gallia tumultuum terroribus agitabatur, & die VIII Augusti Sociis hujus Academiae suos obire conventus interdictum est. Itaque ipsa vel abdicata vel abroga-

ta censebatur, usque ad annum MDC CII, quo tribus aliis, quae antea fuerant Academiis, *Francica*, *Scientiarum*, *Picturae & Sculpturae*, cum ipsa conjunctis, & in unum corpus quatuor Classium redactis, communique nomine *Instituti* insignitis, ipsa tertium locum nomenque *Classis Historiae & Literaturae* obtinuit. Tunc autem supererant Acta quaedam prioris temporis nondum vulgata: quae his quatuor voluminibus in lucem prodita sunt ab eruditissimo viro, Bono Josepho Dacierio, ut antea Academiae Inscriptionum, ita nunc Tertiae Classis Instituti, Scriba perpetuo. Quod autem illius temporis annus primus ponitur MDCCLXXXIV, ita est accipiendum, non ut is comprehendatur illo spatio, sed ut primus sit MDCCLXXXV, ultimus vero MDCCXCIII. Caeterum nos communi generis nomine diximus *Acta*, quae diversa duplicis speciei appellatione titulis voluminum hujus operis inscribuntur *Memoriae* & *Historia*: *Memorias* autem, quae sunt disputationes, sive scriptiones de argumento literato, nec satis commode hoc sensu Latine usurpantur, reddidimus *Commentarios*. Retinuimus nomen *Historiae*, quae in his Actis reliqua omnia, praeter integros Commentarios, complectitur: & quorumdam Commentariorum, in primis seorsum editorum, excerpta atque epitomas continet: & relationes de rebus novissi-

mis

mis quibusque Academiae, legibus, inftitutis, quaeftionibus certamini propofitis, vitis Sociorum mortuorum, in eorumque locum adoptione novorum, aliisque negotiis.

Et ne quis fortasfe lectorum noftrorum miretur, unde huic Societati praecipua professio *Inſcriptionum* venerit; inftituta eft à Lodovico XIV, anno MDCLXIII, nominataque *Academia Inſcriptionum & Numismatum (Académie des Inſcriptions & Medailles)*; eo confilio, ut opera victoriasque & laudes hujus Regis, monumentorum inſcriptionibus numismatumque fignis illuftraret. Idem eam denuo ordinavit a. MDCCI: & nomen Numismatum mutatum eft in nomen Humaniorum Literarum (*Belles-Lettres*), non ut ftudium Numismatum excluderetur; fed ut amplior professio omne illud fpatium complecteretur, quod Literis Graecis & Latinis, Antiquo & Medio Aevo, item Literis Orientalibus, cenferetur. *Academiam* autem Galli aliique populi vocant, non, ut nos, Scholam ftudiofae juventuti in omni Doctrinarum Literarumque fcientia à Professoribus erudiendae conftitutam: fed Sodalitium doctorum hominum, horum & conventibus habendis & commentariis recitandis deftinatum.

Jam quando horum quatuor voluminum tam eft multiplex materia, cujus vel brevisfima epitome noftro

noſtro hoc libro longior futura ſit; ſatis habebimus commentariorum capitumque Tomi XLVII ſummas retulisſe, additis ſubinde ad intelligendum judicandumve paucis noſtris verbis: in caeteris autem Tomis titulos appoſuisſe.

TOMVS XLVII.

HISTORIA ACADEMIAE.

Poſtrema tempora & exitus Academiae, a. MDCCXCIII. (p. 1. 2. 35—37.)

Vtilisſimum idemque prudentisſimum Regis Lodovici XVI mandatum, a. MDCCLXXXVI, de evolvendis cognoſcendisque accuratius codicibus ſcriptis Bibliothecae Regiae, faciendisque editionibus, vel excerptis & ſummariis eorum, qui maxime ad incrementa Literarum doctrinarumve pertinerent. Cui negotio adminiſtrando lecti ſunt octo Sodales: in libris Orientalibus Guignefius (*de Guignes*), in Graecis & Latinis, Villoiſonus, Larcherus, Brotierius: in Francicis, quibus annumerantur & Latini, qui ſunt de Hiſtoria Francica & Antiquitatibus Medii Aevi, Brequignyus, Gaillardus, Theilius (*la Porte du Theil*), Keralius: praefecti etiam regundo negotio quatuorviri (*Commisſarii*) Barthelemyus, Puteanus (*Dupuy*), Garnierius, Rupifortius (*Rochefort*). Hujus operae fructus exſtant, duo volumina jam edi-

edita, duo mox edenda: collecta etiam tribus aliis explendis voluminibus materia: & negotium nunc etiam acriter urgetur. (p. 3—35.)

Quaestiones certamini propositae ab anno MDCCLXXXVII ad MDCCXCII. (p. 37—41.)

Index, per annos digestus, Sociorum, qui illo tempore mortui sunt, aut sponte loco cesserunt, quique illis successerunt. (p. 42—45.)

Index, per ordines digestus, Sociorum, qui deficiente Academia d. VIII. Aug. a. MDCCXCIII fuerunt. (p. 45—47.)

Epitome Commentariorum quatuor, *Silvestris Sacyi* (p. 47—57). Horum I est de Inscriptionibus tribus Graecis Persepolitanis, in quibus Regum fit mentio: de aliis ejusdem loci & argumenti Inscriptionibus Orientalibus, lingua & literarum forma ignota, simili quodammodo illius formae, quae in Pehlvi ab Anquetilo prolata scriptura, & ruderibus Palmyrenis, apparet. Illarum autem literarum inter se, & similium in Persicis numismatibus & gemmis sculptis exstantium comparatione, earum significationem sententiamque indagans & assecutus, Sacyus cognovit in iis memorari tres primos Regum Persarum dynastiae Sassanidarum, Artaxerxis I, Saporis I, Hormisdae I, quae Arsacidis a. nostrae aerae 224 successit, imperiumque à Parthis ad Persas retulit. II. Tractantur Inscriptiones Arabicae & Persicae

cae eodem loco repertae & à Niebuhrio inde descriptae; quem & in prioribus Inscriptionibus Sacyus ut aliis peregrinatoribus accuratiorem descriptorem sequitur III. Continet comparationem scripturae illius ignotae, de qua in primo Commentario dictum erat, cum simili scriptura in numismatibus & gemmis sculptis. IV. De monumentis urbis Kirmanschah ad montem Bisutoun in regione Curdistanâ: qua in urbe à Sassanidis Regibus conditâ & ornatâ, item ejus monte & agro, frequentia sunt monumenta cum signis & Inscriptionibus, eadem lingua & scriptura factis atque illae in primo Commentario tractatae. Duae apponuntur & explicantur habentes nomina & laudem duorum Regum hujus dynastiae: altera, Saporis II: altera, hujus filii, Berami, cognomine Kirmanschah. Unde apparet Danvillium, magnum caeteroquin virum, errasse quod ista Semiramidis opera esse voluerit. Caeterum hos Commentarios auctos ediderat egregius Scriptor a. MDCCXCIII, hoc praescripto titulo, quem ex Gallico sic Latinum facimus: *Commentarii de variis antiquitatibus Persidis, & de numismatibus Regum dynastiae Sassanidarum, cum Historia hujus dynastiae, Gallice reddita ex opere Persici scriptoris Mirkhondi: studio & opera A. L. Silvestri Sacyi.*

Sanctocrucii Animadversiones dilucidando li-

bro Tobiae (58 — 65). Quum amicissimus noster, nunc desideratissimus, Scriptor d. XI Januar. a. MDCCXCIII in conventu Academiae *Disquisitiones* suas *Historicas & Chronologicas de Media*, editas hujus Operis Tomo L. p. 108, recitaret; ad mentionem urbis *Ragae*, à proposito longius diverterat in disputationem de libro Tobiae: quae disputatio in hujus Tomi Parte Historica separatim proditur. Sunt hae Animadversiones de hujus libri argumento, ingenio, ratione, veteribus in alias linguas factis interpretationibus, excidio antiquae Assyriorum urbis Nini, vulgo Ninive dictae, facto à Nabopalassare Babyloniae, & Astyage Mediae, Regibus, anno ante vulgarem aeram DCVIII; quod excidium paulo ante Tobiae obitum accidit: ut diserte in hoc libro, Cap. XIV, versu 15, traditur.

Hemerologium, sive, Calendarium diversarum Civitatum, comparatum cum Calendario Romano (66 — 84.). Magna fuit inter veteres populos, in numerandis appellandisque mensibus varietas: quam ea ratione ordinare, ut constaret quis cujusque Civitatis mensis diesque quibus aliarum Civitatum mensibus diebusque congrueret, multum semper Historiae interfuit. Itaque veteres & Historici & Grammatici multi, & Chronologi omnes, hujus rei cogitionem sibi pro-

propofitam habuerunt. Quo in genere egregie verfata eft opera Theonis Alexandrini, qui, in Commentario ad Ptolemaei προχείρους κανόνας, hujus Hemerologium duodecim tabulis quadratis prodidit; ut fingulae tabulae fingulos menfes continerent, & lineis parallelis per longitudinem & latitudinem invicem fecantibus formam abaci Pythagorici referrent, cujus finiftrum latus nomina populorum, linea autem à quoque nomine per latitudinem ducta quindecim loculos, &, in eorum unoquoque, binorum deinceps fequentium dierum numeros haberet. Inter recentiores eruditos J. A. Fabricius in Menologio anno MDCCXV edito, ut in ejus titulo profitetur, *centum circiter populorum menfes recenfuit*, nec fere nifi ex antiquis fcriptoribus collecta nomina retulit. Majore induftria, chronologica ratione, collecta infuper materia ex Infcriptionibus & Numismatibus, rem acturus erat Jo. Masfonus, & quid moliretur profesfus eft in Hiftoria Reip. Literarum T. II, p. 291 – 293, ubi de Theonis Hemerologio haec pofuit: *Primum ac praecipuum operis noftri fundamentum nobis praebuere duo Medicei codices manu fcripti, quibus inter varias Claudii Ptolemaei tabulas, five προχείρους κανόνας, prout vulgo infcribuntur, reperimus ἡμερολόγιον διαφόρων πόλεων, feu integrum anni folaris Calendarium, quod*

menses variarum quindecim gentium & urbium, per totum anni curriculum descriptos, atque cum Romanis Julianisve mensibus collatos exhibet. Sed proposito Massoni per ejus mortem intercepto, aliud hujus Hemerologii exemplum describi curavit Baro Delabastius (*de la Bastie*): idque moriens a. MDCCXLII Academiae legavit. Adhuc ab iis, qui hujus Hemerologii mentionem fecerant, & postremis adeo, Lamyo, Audrichio, Bandinio, Italis ignorabatur, tertium ejus exstare codicem scriptum in Bibliotheca Lugduno-Batava, jam ab eruditissimo chronologo Jo. Hagenio, (*van der Hagen*), Ecclesiaste quondam Amstelodamensi, accurate descriptum in *Observationibus de Fastis Graec.* p. 314: cujus codicis etsi, perditis quibusdam foliis, quidam desiderantur menses, tamen populorum menses trium adsunt, qui in apographo Delabastii desunt, Seleuciensium, Gazaeorum, Ascalonitarum. Haec est summa disputationis huic Hemerologio Theonis praemissae: quod deinceps exhibetur duodecim tabulis forma abaci Pythagorici, seu laterculi, expressis, sinistro lateri deinceps, à summo ad imum, praescriptis nominibus populorum & mensium, hoc v. c. Januarii argumento: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ. ΑΣΚΑΛΩΝ ΑΠΑΛΙΟΣ. ΓΑΖΕΩΝ ΑΔΥΝΑΙΟΣ. ΚΑΠΠΑΔΟΚΩΝ ΑΥΓΑΝΟΣ. ΒΙΘΥΝΩΝ ΔΙΟ-

ΝΥ-

ΝΤΣΙΟΣ. ΕΦΕΣΟΥ ΠΕΡΙΤΙΟΣ. ΚΥΠΡΙΩΝ ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΡΗΤΗΣ ΜΕΤΑΡΧΙΟΣ. ΑΣΙΑΝΩΝ ΠΟΣΙΔΑΩΝ. ΛΥΚΙΑΝΩΝ ΔΙΟΣ. ΗΛΙΟΥΠΟΛΙΤΩΝ ΘΟΡΙΝ. ΣΙΔΟΝΙΩΝ ΔΙΟΣ. ΑΡΑΒΩΝ ΑΥΔΙΔΑΙΟΣ. ΤΥΡΙΩΝ ΑΠΕΛΛΑΣ. ΕΛΛΗΝΩΝ ΔΥΑΔΙΔΑΟΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΤΥΒΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΣ. Quaedam nomina mendosa: v. c. ΑΥΔΥΝΑΙΟΣ, Graecis & Arabibus restituendum. Multis locis pro Σ ponitur C. Perspicuitatis causa subjectae sunt minores tabulae Latinae singulorum populorum, addità fere singulis notulâ ad intelligentiam rei perutili: v. c. nominatis recentioribus scriptoribus de horum populorum epochis & aeris: aut notatis eorum civitatibus, veluti ΕΛΛΗΝΩΝ intelligi *Antiochenos*, ΑΡΑΒΩΝ *Bostrenos*, sive *Syro-Macedones in Bostra Arabiae*. Caeterum, quum hoc in Commentario ejus scriptor non nominetur, eo inducimur ut putemus hunc esse Amanuensem Bibliothecae quondam Regiae codicum scriptorum doctisſimum, Parquoisium (*Parquois*): cujus in usus ante hos undecim annos praestantissimus noster Collega, Jo. Voorstius, rogatus à nobilissimo eodemque eruditissimo Barone Lyndeno Blittersvicense, hoc Theonis Hemerologium descripsit. Quo de negotio quum in epistola ad me data d. IX Aug. a. MDCCC, quam prae manibus habeo, mihi optimus noster Villoiso-

nus scripserit, facere nequeo quin usurpandae ejus memoriae causa illum locum Latine redditum apponam: „ Parquoisius tibi & Voorstio, „ Viro Cl., apud me gratias egit: hujusque be- „ nevolentia & studio descriptum sibi exemplum „ Hemerologii Theonis exspectat. Est vero hic „ idem, quem antea praesens nosti, accensus Bi- „ bliothecae Nationalis, vir pereruditus, pro- „ bitate modestiaque insignis; à longo inde tem- „ pore occupatus in nova Syncelli editione ador- „ nanda; & egregiis de Chronologia Antiqua „ annotationibus conficiendis."

Sanctocrucii Observationes de Monumento Ancyrano (85—105.). Hoc nomine celebrantur reliquiae templi Augusto ab Asiae Civitatibus ad Galatiae urbem Ancyram cum inscriptione Latina rerum ab eo gestarum, consecrati. Inscriptio ipsa testatur, se esse harum *rerum, incisarum in duabus aheneis pilis, quae sunt Romae positae, exemplar subjectum*. Recentiore aevo res in hominum notitiam retracta est à Busbequio & Verantio, Ferdinandi I Caesaris ad Ottomannicam Aulam Legatis, a. MDLIV; & edita semel Inscriptio, saepius editionibus repetita, à Literarum principibus Lipsio, Scaligero, Casaubono, tractata, suppleta, emendata est. Secuta est accuratior certiorque editio Jacobi Gronovii MDCXCV ex pleniore diligentioreque apographo

pho facta Daniëlis Cosfoni, mercatoris Batavi Smyrnae negotiati. Deinde Tournefortius operis praefens delineatam fecit imaginem a. MDCCI, quam prodidit in Itinerario fuo, exemplo tamen Infcriptionis omisso. Mox Paulus Lucas etiam Ancyrae fuit MDCCIV, Infcriptionem fpectavit, nec defcripfit ipfe, fed Smyrnae acceptum exemplum ab vidua Fabri, mercatoris Gallici, edidit, idque prioribus exemplis fubinde rectius & locupletius. Tum Edmundus Chishullus nactus apographum Tournefortianum, hoc fretus & fuperioribus adjutus, novam Infcriptionis editionem appofuit a. MDCCXXVIII. in Antiquitatibus Afiaticis p. 165 & feq. Haud multo poft Richardus Pockockius (*Pockocke*) in illam regionem venit; qui eodem in monumento reliquias ejusdem Infcriptionis Graece verfae reperit, easque defcripfisfe contentus Latini autographi rationem nullam habuit: illas autem Graeci exempli reliquias emifit in peculiari volumine: ipfam vero peregrinationem confignavit in libro Anglice fcripto edito Londini MDCCXLIII. fol. cujus titulum fic Latinum facimus, *Defcriptio Orientis & quarumdam aliarum Regionum.* Qui illis recentior Ancyrae fuerit hujus operis fpectator ac defcriptor, Sanctocrucio nemo innotuit praeter Rouftanum Academiae Masfilienfis Socium, qui ab eo per literas rogatus, ut fibi aliquid de hoc

negotio notitiae impertiret, respondit d. XXVII Julii a. MDCCCVI. „ exemplum Graecae Inscriptionis Ancyranae à se descriptum sibi intercidisse; nec ejus jacturae valde se poenitere, quod mendosissimum fuisset: quippe post Pockockii tempora tabulis illis rursus imminutis & scriptura obscurata". Singulorum horum peregrinatorum operam & merita breviter & vere notat Sanctocrucius: veluti Paulum Lucam vocat *peregrinatorem indoctum & parum attentum*. Richardum autem Pockockium ita censet, ut dicat: „ fuit hic sane peregrinator intelligens, „ prudens, doctus: sed negligens in transscribendis Inscriptionibus, quas edidit plenas „ mendis & lacunis: quod ne dissimulat quidem „ addens frigidam scilicet consolationem, *se sic* „ *aperuisse latum campum sagacitati Criticorum: (neque vitio quis mihi vertat;) in quo se* „ *exerceat hominum criticorum & ingenio valentium acumen, sive corrigendo, sive supplendo, sive explicando*". Quam profecto indignam docto viro vocem Sanctocrucius merito castigat. Haec de studiis hominum doctorum recentiore aetate in edendo illustrandoque hoc opere versatis; quae vulgo historia literaria, vel bibliographia operis, dicitur. In quibus memorari etiam poterat *J. A. Fabricii Notatio Temporum Caes. Augusti,* — edita Hamburgi. a. MDCCXXVII. 4. &

& Saxius noster Onomastici Literarii Tomo I. p. 215. Propositum & finis harum Observationum est emendatio & constitutio Latini hujus Inscriptionis exempli ex Graeco ducta. Cui proposito caeterae partes accommodantur, prudenter utique explicitae scituque utiles & jucundae: veluti de Augusti rebus, testamento, mandatis, ratione gubernandi imperii, aeterna pace: commentariis rerum suarum, nunc perditis, sed antiquorum Scriptorum commemoratione celebratis: unde Appianum dimidiam partem Illyricorum suorum, & partem libri quinti de Bellis Civilibus sumsisse: de Dacis, aliisque populis, eruditae animadversiones. Caeterum has Observationes jam anno MDCCXCII, in Academia lectas, postremis his annis correxit & auxit, itaque in Actis edendas tradidit.

Larcheri Animadversiones Criticae in Etymologicum Magnum (p. 105 — 208.). Hujus Lexici quo major est utilitas, & quominus emendata adhuc scriptura exstat, eo nobis gratiores venerunt hae correctiones; quas ipsarum perspicuitas & probabilitas commendat. Nam spe novae editionis, quam L. Kulenkampius, Professor Gottingensis, ostenderat specimine edito a. MDCCLXV, ejus obitu interceptâ, alios hoc opus successores & opifices exspectat: qui forte ex eorum numero erunt, qui Lipsiae nuper Lexi-

ca Photii & Zonarae, nondum antea edita, primum ediderunt. Sed quicumque erunt editores, hi magnum sibi paratum reperient subsidium in Larcheri Animadversionibus; quarum pars in hoc volumine exstat, pars reliqua in Actis Instituti exstabit. Exempla earum proferre quum brevitatis consilium nos vetet, defungimur referenda ratione, quam ipse se secutum esse professus est: „ Sylburgianae editioni, inquit, „ adhibui principem: quae nisi quid medelae in „ locis corruptis praeberet, consului Eustathii „ Commentarios in Homerum, alios Scholias„ tas, Venetum: Scholia Aristophanis, Pin„ dari, aliorum poëtarum: Pollucem, Hesy„ chium, Suidam, Phrynichum, Ammonium, „ Moerin: tum eos, qui nondum editi sunt; „ Orionem Thebanum, & Etymologicum multis „ partibus ab edito diversum: porro versus cita„ tos ad librum numerumque suum retuli, va„ riamque, si qua erat, lectionem memoravi: „ omisso auctoris nomine, eum exquirere stu„ dui: omnino, nil mihi praetermisisse videor, „ quod futuro editori utile esset." Insignis modestia tantam doctrinam mirabiliter ornans!

Gossellini Disquisitiones de Geographia Antiqua. (p. 209—288.). Quum Academia Inscriptionum in certamen vernum a. MDCCLXXXV posuisset quaestionem, „ quid inter Strabonis & Pto-

Ptolemaei rationem interesset, qualem quantamque Geographiae cognitionem ipsi & à prioribus accepissent, suoque studio auctam posteris reliquissent"; victoriam retulit Gossellinus, vir in hoc genere unus ex doctissimis & acutissimis. Qui mox adscitus Academiae Socius, plures apud eam acroases habuit; quibus item rationes Hipparchi, Polybii, Marini Tyrii, explicuit, & in tabulis designatas exposuit. Hi & alii de eodem argumento Commentarii quum scriptori tempore tumultuum erepti, deinde editi essent, in his Actis non nisi epitome eorum refertur. Prodierunt vero ejus *Geographia Graecorum explicita* (*Géographie des Grecs analysée*) Parisiis a. MDCCXC: item *Disquisitiones de Geographia systematica & positiva Veterum.* Praecipuum autem Gossellini invehtum hoc est, quod sibi cognovisse videtur, dissensiones veterum Geographorum de distantiis & intervallis locorum inde exstitisse, quod stadiis non aequalibus usi essent, quum in ipso modo ac tota mensura consentirent Veluti in definiendo Terrae circuitu, id est, ejus circulo maximo, Aristoteles eum à Mathematicis suae aetatis prodi narravit, stadiorum quadringentorum millium (400,000): Archimedes aliam memorat magnitudinem trecentorum millium stadiorum (300,000): Eratosthenes, Hipparchus, Strabo, eum faciunt du-

ducentorum quinquaginta & duorum millium (252,000): Posidonius ducentorum & quadraginta millium (240, 000): Ptolemaeus, centum & octoginta millium (180,000). Horum numerorum unoquoque in trecentas, & sexaginta partes distributo, ut circulo in gradus diviso, hi gradus nominibus numerorum inter se differebant, quum ipsa magnitudiue pares essent. Et, ut hoc utamur, quod Megasthenes & Deimachus maximum finium Indiae intervallum fecerunt triginta millium stadiorum (30,000), Patrocles autem duodeviginti millium (18,000): & hunc erroris accusant Eratosthenes & Strabo (II, p. 68); ipsi errant, nec vident Patroclem *diversis*, atque Megasthenem & Deimachum, stadiis usum esse, & hujus duodeviginti millia stadia aequalia esse illorum triginta millibus stadiis. Hanc dissensionis caussam Veteres ipsos non animadvertisse quum propemodum incredibile videatur, nos quidem semper ea in opinione fuimus, varietatem in locorum intervallis, & Terrae circuitu, à varietate & errore metiendi exstitisse: & stadia fuisse non mathematica sed communia, id est eorum partitionem in pedes aut passus, ex vulgari usu, nec ex divisione gradûs venisse. Ipse autem in hac sua sententia confirmanda mensurisque graduum & stadiorum inter se componendis, multum doctrinae & acumi-

minis consumsit Gosfellinus; de quo ipse legatur, & alii judicent. Hanc mensurarum rationem deinde accommodat Itinerariis Veterum, quae superfunt: magnamque rerum novarum scituque dignissimarum cognitionem expromit. Nam Africae ora describitur suisque locis notatur. Primum Occidentalis, secundum Periplos Hannonis: Scylacis, qui ex illo ductus est: Polybii à Plinio servati V, 1: Ptolemaei: tum de Atlanticis Insulis agitur. Deinde Orientalis è Strabone & Ptolemaeo: disseritur de circumnavigata à Veteribus Africa, cujus mentio fit apud Herodotum IV, 43: Strabonem I, p. 37: II, p. 98: de Eudoxi Itinerario apud Melam III, 9: Plinium II, 67: Strabonem II, p. 98, ex Posidonio referentem. De sinu Arabico, quod Mare Rubrum dicitur vulgo: Arabiae portubus siccatis recessu maris, cedentis litoribus prolatis, arenarum molibus ex Arabia ventorum vi illatis. De frequentatis Judaeorum navigatione locis *Ophir* & *Tharsis*. De *Homeritis* incolis Arabiae Felicis. De Agatharchidis & Arriani Periplo Maris Rubri, & utraque ejus maris ora: tribus diversis urbibus Adulis nomine appellatis. Musa quondam celebris urbs maritima, recedente mari, ab eo nunc sex leucis distans, in tenuem vicum eviluit: &, suo privata, Moccae portu utitur: quod adhuc ignotum primus ostendit Nie-

buh-

buhrius. Haec de propofita in his Actis epitome. Aliis autem iisque egregiis accesfionibus cognitionem Graecae Geographiae locupletavit, novisfime duobus operibus: altero, quo Strabonis Francicam Verfionem doctisfimis annotationibus inftruxit: alterum, quo fententiam fuam de ftadiis Graecorum amplius explicuit, hoc titulo praefcripto, à nobis Latine fic reddito: *Obfervationes generales de modo cognofcendi & aeftimandi antiqua ftadia itineraria: de erroribus, quos perverfus illarum menfurarum ufus intulit doctrinae Graecorum Geographicae; ac de remediis hujus doctrinae corrigendae & ad priftinam fuam exactae diligentiae rationem redigendae. Parifiis.* MDCCCIX. 4. *pagg.* XCVI.

Dacierii Periculum Verfionis quorumdam Epigrammatum Anthologiae Graecae, cum Annotationibus (p. 289—302.). Epigrammata funt in Linum, Orpheum, Mufaeum: Verfio Francicae profae: Annotatio copiofa & hiftorica.

Infcriptiones & Numismata defignata ab Academia (p. 303—306.). Eft haec, ut initio diximus, antiquisfima hujus Academiae profesfio, Infcriptiones & Numismata defignare celebrandis factis & operibus. Itaque hanc fervans, quaedam utriusque generis exempla, in illo temporis fpatio, vel jusfu Regis, vel civium exterorumve rogatu, prodidit. De quibus his paginis breviter refertur. *Elo-*

Elogia Sociorum Academiae mortuorum ab anno MDCCLXXXIV – MDCCXCIII. *auctore Dacierio* (p. 307 — 422.). Habent jucundam fructuosamque cognitionem: non solum ab hominum, de quibus sunt, fama: sed etiam à scriptoris stilo, cum simplicitate narrationis significationem veritatis, prudentemque rerum morumque notationem, adferentis. Nos, omissis aliis titulis, eorum nomina, vitae annos, &, si forte, studii genus, librum, factumve referemus. Sunt autem hi:

Hieronymus Fredericus Bignonius (*Bignon*), Bibliothecae Regiae praefecturam aliosque honores, majorum doctrina & magistratibus gestis clarorum commendatione adeptus: vixit ab anno MDCCXLVII — MDCCLXXXIV.

Joannes Franciscus Seguierius (*Seguier*), natus Nemausi (*Nismes*), majorum splendore contentus, vitae actionem in Literis consumsit, eamque partem, quae Inscriptionibus continetur, doctore usus Maffeio, insigniter excoluit; quum primo ipsa urbs patria his monumentis frequens puerum ad hoc studium excitasset: quo in genere exstat ejus Dissertatio de Inscriptione, cujus ex paucis reliquis literis verissimâ conjecturâ totam hanc fuisse assecutus est: *C. Caesari Augusti F. Cos. L. Caesari Augusti F. Cos. designato principibus juventutis.* Moriens reliquit scriptum

ptum Indicem omnium, quae adhuc cognitae sunt Inscriptionum, tribus partibus comprehensum: prima, Latinarum: altera, Graecarum: tertia Hetruscarum, Phoeniciarum, aliarum. Vixit ab anno MDCCIII ad MDCCLXXXIV.

Paulus Maria Paciaudi, Clericus Regularis Congregationis Theatinorum: cujus & alia sunt scripta, & id, quo maxime exteris innotuit, *Monumenta Peloponnesia* a. MDCCLXI Romae II voll. 4. Idem à Duce Parmensi praefectus effodiendis ruderibus veteris urbis Veleiae in Agro Placentino, eruta monumenta descripsit libro, quem edendum amico in Galliam misit: at hic, quod dolendum, non nisi exerpta inde in Gallicis Ephemeridibus vulgavit. Natus Augustae Taurinorum a. MDCCX, obiit Parmae a. MDCCLXXXV.

Franciscus Arnaldus, Abbas Grandiscampi (*Arnaud, Abbé de Grandchamp*), ferventissimus Graecarum Literarum Artiumque amator, quarum intelligentiam magis affectu quodam & interno sensu, quam grammatica ratione & diligenti interpretatione, consectabatur: has semper & ubique laudabat & praedicabat; ut, si fieri posset, alios eodem, quo ipse ardebat, amoris ardore incenderet: & ex continua Veterum lectione non quidem criticam & historicam doctrinam, sed ingenio & oratione germanum quemdam anti-

ti-

tiquitatis habitum & colorem retulerat; ut in Francicâ linguâ novum quid & antea inauditum sonaret, & felici verborum innovatione, tralationum, imaginum, figurarum, audacia & frequentia audientes non adeo doceret, sed delectaret, commoveret, auferret. Et hoc sensu & animi incitatione calent viri scripta. Haec autem sunt. *Professio de Historia Musicae conscribenda:* cujus professionis nomen non solvit: artis caeterum peritissimus, & in Lyrico genere acerrimus Gluckiani modi defensor, & agitatis de illo inter Gallos litibus jactatus. Acroases in Academia habitae. *De Accentibus Graecis*, eorumque in poësi & prosâ effectu & vi ad modulationem & harmoniam orationis. *De Stilo Platonis, & proposito Dialogi Jonis:* instinctus admiratione Platonis, huic in prosae scriptoribus, ut Homero in poëtis, principatum tribuebat, utrumque divina quasi religione colens. *Dialogus Jon, Francice versus:* in quo existimatus est ipsius ingenium rationemque Platonis multis partibus, compositionis facilitate, verborum proprietate, & orationis vigore, expressisse. *Judicium de quibusdam locis antiquorum rhetorum:* pertinet ad Platonem defendendum adversus notas reprehensiones Dionysii Halicarnassensis, perhibentis eum, quamvis in simplici genere egregium, tamen in sublimi frigidum & inflatum esse. *De prosa oratione*

G Grae-

Graeca: quaeritur quomodo tranſitus ligatae orationis in ſolutam factus ſit, talis in quo linguae argumentum omne expolitum verſibus, exornatum cantu, conſecratum religione, amiſſo rhythmo, nil amiſerit de propriae originis habitu, nil de efficacitate, ornatu, harmonia: cujus tranſitus cauſſam non ſine veriſimilitudine Sophiſtis tribuit. Haec in Academia Inſcriptionum, cui erat adſcriptus (*aſſociatus*), in ejusque prioribus Voluminibus, vivo etiam tunc ſcriptore, exſtabant. Tres alii Commentarii adhuc ſcripti ſervabantur in ſcriniis Academiae: unus, *De utilitate ſtudii Numismatum:* alter, *De vita & operibus Apellis pictoris:* tertius, *De Catullo:* quorum duo poſtremi nunc demum editi ſunt Tomo XLIX horum Actorum. Francicae autem Academiae fuit ordinarius Socius: ubi recitavit *Elogium Homeri*, & *Effigiem Julii Caeſaris:* quae recitationes & tunc ſolito plauſu exceptae, & adhuc ſtudioſorum hominum recordatione celebratae vigent. Natus in Albiniano vicino Carpentoractis (*à Aubignan près de Carpentras*) a. MDCCXXI, vixit Pariſiis, obiit a. MDCCLXXXIV.

Joannes Leveſquius Burignyus (*Levesque de Burigny*) natus Remis, gente nobili, a. MDCXCII, adoleſcens Pariſiis cum duobus fratribus, majore (*Levesque de Pouilly*), & minore (*Levesque de*

de Champeaux) conjunctisfime in Literis vixit: &, his profectis, folus eumdem ftudiorum curfum per totam vitam tenuit; quam diuturnam fano & valenti corpore, leni placidoque animo, ad aetatis annum quartum & nonagefimum pertulit. Itaque tot ejus fuerunt & libri fcripti & Commentarii, quot haud fcio an fuerint nullius ex omnibus hujus Academiae Sociis. Librorum hi funt tituli, Latine à nobis redditi: *De Auctoritate Pontificis Romani*: *Hiftoria Philofophiae Paganae*: *Hiftoria Siciliae*: *Hiftoria commutationum Imperii Conftantinopolitani*: *Porphyrius de Abftinentia ab Efu carnium, & de Vita Plotini* Francice verfus, & auctus *Disfertatione De Daemonibus*: *Vita Hugonis Grotii*: *Vita Erasmi*: *Vita Bosfuetii*: *Vita Cardinalis Perronii*. Plura in fcriniis reliquit, quae perierunt, in quibus *Hiftoria Pontificum Romanorum inde à S. Petro ad noftram aetatem*. Haec Elogii fcriptor Dacierius: Commentarios in Academiae confesfu recitatos, in ejusque Actis editos, non nominatim referens: quos tamen vel argumentorum causfa cognofcere juvat. Sunt igitur hi: *De moribus & ratione magiftratuum Romanorum in gubernandis provinciis*: *De libris facris populorum profanorum*: *De libris apocryphis, tempore primorum Ecclefiae faeculorum*: *De disfenfione hominum eruditorum faeculo* XVI,

in aestimanda Ciceronis auctoritate: Vita Athenionis Philosophi, cognomine Aristionis: De fabulosis populorum originibus: Varietas Veterum in tradendis rebus Helenae & Belli Trojani: Observationes de Aeschyli tragoedia Persis; De Posidonio Philosopho: De vita & scriptis P. Nigidii Figuli: De Scriptorum veterum exterorum erroribus in rebus Judaeorum: Vita Herodis Attici: Vita Aspasiae: De honoribus & praerogativis ordini sacerdotum apud profanos populos tributis: De Calvo Poëta & Oratore: De Sextio Philosopho: De Musonio Philosopho: Vita Procli Philosophi, & notitia codicis scripti quo continentur quidam ejus libri nondum editi: De Historia Indorum antiqua: De loco Plauti ad Siciliam spectante: De Valerio Messala: De reverentia Romanorum erga religionem, & indulgentiae erga ejus neglectum finibus: De citandi necessitate in operibus literatis, & Veterum in citando ratione: De Servis Romanorum, eorumque conditione antequam manumitterentur: De Servis Romanorum, eorum manumissione, & manumissorum conditione: De corruptione Romanorum, & caussis belli civilis Caesarem inter & Pompejum: De Romanorum eloquentia: De erroribus Romanorum popularibus: De caussis malorum compluribus vetustiore aevo frequentibus, nunc exstinctis aut deficientibus:

De

De populorum erga somnia religione: De Antiquorum, in primis Romanorum, epistolis missis: De Apione: De Demetrio Cynico: De studio rerum mirabilium Graecis & Romanis Historicis obiecto: De ratione administrationis civilis Gallorum, quum à Romanis subigerentur, quantumque de ea constet: De Reditu Lodovici Junioris (VII), *Galliae regis, ab expeditione cruciata: De precibus paganorum: Observationes de antiqua Aegypti historia: De tribus veteris Galliae locis à nemine Geographo memoratis.* Ex horum librorum commentariorumque multitudine & varietate intelligitur quanta quamque multiplex in scriptore fuerit doctrinae scientia & facultas: quamquam credibile est multa argumenta ita esse tractata, ut non sit quod posteri ab iis retractandis absterreantur: quod in Musonio dudum ostendit P. Nieuwlandius, in Posidonio nuperrime J. Bakius. Memoriae Burignyi, & indici scriptorum, Saxius etiam locum dedit in Onomastici Literarii Parte VIII, p. 87. Animi morumque imaginem plane amabilem exhibet Dacierius, ut senis comitate benevolentiaque erga alios candidi, simplicis, comis, veracis: ab omni fastu, superbia, invidia, gloriola, alieni: nil nisi placidum & tranquillum spirantis. Extremo aegrotans morbo, transacta insomni nocte, amicis mane visitatum venientibus, & insomniam que-

querentibus, *Ego vero*, inquit, *vigilans praeclaram habui noctem: veteres enim Scriptores animo recensui, quaerens cui me maxime similem esse vellem: hunc autem quemnam fuisse putatis?* Illis dubitantibus, *Plutarchus*, ait, *is fuit:* & rationes docte diserteque explicuit. Corporis viribus propemodum penitus jam deficientibus, paucis ante mortem momentis, *Si umquam adeo*, inquit, *infelix fuissem, ut de animorum immortalitate dubitarem; praesens meus hic status certe isto me errore liberaret: corpus meum sensu motuque caret, neque id amplius esse sentio: & tamen cogito, considero, volo, sum: tales actiones mortua materia efficere nequit.* Obiit d. VIII Octobris a. MDCCLXXXV.

Petrus Joannes Grosleyus, quam cum Graecis Latinisque Literis conjunctionem habuerit, ex ejus scriptis non satis apparet. Habitus est unus de tribus scriptoribus, *Memoriarum Academiae Scientiarum & Bonarum Literarum Artiumque Augustobonae Tricasfium* (*Troyes*): libri compositi ad exemplum famosi libelli inscripti, *Doctoris Mathanasii opus capitale incogniti.* (*Chef-d'oeuvre d'un inconnu, du docteur Mathanasius*). Porro alia scripsit: *Memorias de expeditionibus Gallorum bellicis per annos* MDCCXLV & MDCCXLVI: *Disquisitiones illustrandae historiae Juris Francici.* In certamine ab Aca-

Academia Divion nsi decreto de quaestione *quae sit vis & efficacitas scientiae doctrinarum ad formandos mores*, victoriam reportante Rossavio quaestione evertendâ, ipse eam defendens proximum praemium tulit. *Censura historica & critica conjurationis Venetae ab Abbate de Sancto Reali (l'Abbé de S. Real) scripto consignata*: quam conjurationem ipsius Senatus Veneti politicum commentum fuisse contendit Grosleyus. *Vitae fratrum Pithoeorum, Petri & Francisci, caeterorum fratrum & patris*: hos, cives suos Tricasfinos, ita ornavit, ut multas scitu dignas nec satis adhuc cognitas literarias res promeret. Nec simili commendatione caruerunt duae ab eo factae peregrinationes in Italiam ac Britanniam singulatim descriptae: quarum alteri titulum posuit *Londinum*: alteri, *Nobilium duorum Suedorum observationes de Italia & Italis*. Patrias porro res illustravit aliis scriptis: *Supplementis Memoriarum Camusati de Historia Ecclesiastica Augustobonae Tricassium*: *Vita Breyeri, Canonici Ecclesiae Cathedralis Tricasfinae*: *Ephemeridibus Tricasfinis*. Natus a. MDCCXVIII, mortuus est MDCCLXXXV.

Marcus Antonius Renatus Voyerius Argensonius, Marchio Paulmyensis (de Voyer d'Argenson, Marquis de Paulmy) patrem habuit Renatum Ludovicum & ipsum Academiae hu-

jus Socium, nec in Literis obſcurum, & munerum dignitate conſpicuum: majores antiquisſimae nobilitatis, magiſtratibus & aulicis miniſteriis inſignes: ipſe domi militiaeque ſummis honoribus, legationibus, regii etiam adminiſtri officio functus, titulisque condecoratus: quae referre longius quam pro noſtro inſtituto ſit. Quum ex negotiis in otium ſe retulisſet, in bibliothecamque ſuam abdidisſet, quam privati cenſu modoque majorem & amplisſimam habebat, brevi tempore duo magna opera compoſuit. Nam ab a. MDCCLXXV ad MDCCLXXVIII edidit circiter quadraginta voluminibus *Bibliothecam Univerſam fabularum Romanenſium (des romans)*. Quam deinceps ſecuta ſunt octo annorum ſpatio *Miſcellanea depromta ex magna quadam Bibliotheca*, quinque & ſexaginta voluminibus; quibus omnis antiquitas Franciae, hiſtoria ejus, geographia, jurisprudentiae hiſtoria, item Literarum, doctrinarum, artium, ſcenae, familiarum, ſic traduntur, ut indocti diſcere, docti meminisſe posſint. Natus Valentianae (*Valenciennes*) a. MDCCXXII, decesſit MDCCLXXXVII.

Franciscus Bejotius (Béjot), natus MDCCXVIII in Picardiae urbe Monte Deſiderii (*Montdidier*), quum civem & cognatum haberet Joannem Capperonnerium, codicum ſcriptorum in Bibliotheca Regia Cuſtodem (*Garde des Ma-*

nu-

nuſcrits) hujus curâ & conſilio Literas humaniores in Lutetiae ſcholis percepit, eidemque in illo munere ſucceſſit, Cuſtodi facto librorum impreſſorum in locum Sallierii mortui a. MDCCLXI: proximo anno autem & Socius Academiae Inſcriptionum cooptatus, & Profeſſor Eloquentiae Latinae in Collegio Regio conſtitutus eſt. Ejus in illa Cuſtodia diligentiam, aſſiduitatem, fidem, merito laudat Dacierius. Nam & talem nos eum cognovimus Lutetiae Pariſiorum anno MDCCLXXV, & praeterea religioſum, immo difficilem in concedendo nobis codicum ſcriptorum uſu: in quo ſe erga Ruhnkenium aliosque peregrinos, Bejotii deceſſores, & proxime Capperonnerius, faciles ac liberales praebuerant. Quam difficultatem nos ne literis quidem commendatitiis Leſtephanoni Berkenrodii, V. Ampl. Reip. Batavae Legati, ad Bignonum, V. Exc. Bibliothecae Praefectum, datis expugnaſſemus; niſi adjutores habuiſſemus Alembertum, Foncemagnum Villoiſonum, Sanctocrucium. Semel nobis conciliatus aditum ad codices ſcriptos liberum, ſeque affabilem & ad omne illud officium promtum paratumque praeſtitit. Cujus beneficii, & ipſi, & caeteris dictis viris omnibus, quamvis mortuis, gratias nos habere, ſemperque habituros, profitemur. Sed haec hactenus. Bejotius eruditionis ſuae exiſtimationem duabus recitationibus in Academiae conſeſ-

fu habitis confirmavit: altera de *Eparitis*, Arcadum militibus, à Xenophonte memoratis Hellenic. VII, 4; quam recitationem in annotatione ad illum Xenophontis locum memorat etiam Morus: altera correctiones habet quorumdam locorum Cyropaediae. Obiit a. MDCCLXXXVII.

Guilielmus Rupifortius (*de Rochefort*) exteris maxime innotuit Iliade & Odysfea Francicis verfibus reddenda: & meminimus nos eum in Academiae confesfu recitantem audire aliquam Odysfeae partem non fine audientium plaufu, vulgo ferentium eum & judicii fubtilitate, & nativa morum elegantia, & fenfu antiquitatis, & orationis facultate, unum maxime idoneum esfe ad vim pulcritudinemque Graecorum auctorum exprimendam. Quamquam edito toto opere a. MDCCLXXVII eventus exfpectationi non refpondit, opinione quidem quorumdam cenfentium, interpreti impetum & ingenium Homericum defuisfe: quod judicium poftea fere obtinuit. Dramaticam etiam poëfin attigit, ipfe poëta: tres compofuit tragoedias, *Vlysfem*, *Electram*, *Antigonam*: & comoediam, *Duo Fratres*: quibus fabulis in fcenam productis non contigit ut repofcerentur. Et Sophoclis, quae exftant, tragoedias vertit, praefationem, poëtae vitam, annotationes addidit doctas, eleganter & cum acri pulcritudinis judicio fcriptas:

non

non tamen magis, quam priora opera, hominum approbatione exceptas. Cujus rei caussam Dacierius confert in festinationem scribentis & facilitatem celeritatemque scribendi, non ferentis *moram & limae laborem*. Natura & studio ad animi magnitudinem & humani generis caritatem formatus, & ad certam sententiam ac persuasionem de divina providentia & animorum immortalitate confirmatus, librum *Systema Naturae* dictum, qui tantum beneficium humano generi eripere conaretur, cum indignatione rejecit, ac scripto confutavit. Eodemque consilio sensuque compositam à se *Historiam Criticam opinionum ac doctrinae Veterum de Felicitate* edidit a. MDCCLXXVII. Acroasibus autem habendis unus è frequentissimis Sociorum fuit. Nam praeter libros Veterum à se Francice versos, peculiares etiam disputationes, nunc in Academiae Actis editas, recitavit: quarum haec sunt argumenta: *De moribus aetatis heroicae: De statu Graeciae ante regnum Thesei, quod initium aetatis heroicae ponitur: De doctrina morali Herodoti ex Homero profecta: Comparatio Herodoti cum Homero: De consilio & proposito Tragoediae Graecorum: De Symphoniis Veterum: De utilitate Oratorum in republica Atheniensium: De ratione & facultate Demosthenis, cum in eloquentia, tum in republica gerenda: Orationum*

num Philippicarum ejusdem consilium & via: Comparatio Theophrasti & Bruyerii in morum notatione: De Menandro, ejus vita, scriptis, ratione & arte comica, imitatoribus: Comparatio aetatis heroicae cum instituto equestri medii aevi (la chevalerie) in moribus, virtutibus, vitiis. Natus Lugduni Segusianorum (*Lyon*) a. MDCCXXXI, obiit Parisiis a. MDCCLXXXVIII.

Guilielmus de Nicolai, *Eques*, quum vivus omnem sibi ab aliis tributam laudationem fugeret, nec mortuum se Academiae nomine laudari voluit, eamque in testamento ipse suo deprecatus est, ne sibi Elogium scriberet. Cui religioni Academia sic obsecuta est, ut suum officium sequeretur, nec virum honore debito privaret, sed loco Elogii ei inter caeterorum Elogia brevem vitae narrationem poneret, praescripto titulo *Nota de Nicolaio*, *Socio Academiae veterano* (*Note sur M. de Nicolai*, *Académicien Vétéran*). Natus Arelate a. MDCCXVI, nondum vigesimo aetatis anno exacto explicandis duabus quaestionibus ab Academia positis victoriam retulit: altera, *quousque Geographiae scientia provecta fuerit aetate Alexandri M.*: altera, *quae fuerint communes leges populorum Graeciae, quibus contineretur quasi corpus Hellenicum, de earumque origine, proposito, utilitatibus.* Qui successus eum impulerunt ut Lutetiam

tiam habitatum veniret: ubi continuo ab Academia focius adfcitus, aliis eam auxit Commentariis, qui in prioribus Actis editi exftant: hi funt, *De vita & majoribus Alexandri Molosfi, regis Epiri, in hiftoria magnam famam adepturi nifi eam obruisfet fama Alexandri Magni ejus aequalis: Animadverfiones Criticae in Plutarchi Vitas Agidis & Cleomenis: Obfervationes de horribili caede & excidio Cabrierae & Merindolae*, oppidorum Hugonoticorum, decreto Parlamenti Provinciae perpetrata à cohortibus regiis a. MDXLV: *De curfu & alveo Rhodani fluvii, inde ab antiquisfima memoria ad exitum fuccesfionis Carolingicae: illuftrandae quaeftioni hodieque agitatae inter Provinciam & Occitaniam (la Provence & le Languedoc), quarum utraque fibi hujus fluvii proprietatem vindicat.* Obitu uxoris commorationem Parifienfem pertaefus, in patriam Arelaten rediit, ubi mortuus eft a. MDCCLXXXVIII.

Lodovicus Franciscus Ormesfonius (Louis-François de Paule le Fevre d'Ormesfon). Hic majoribus ortus, qui inde à Francisci I. temporibus perpetuo fummos civiles magiftratus obtinuisfent, mature ad idem vitae genus capesfendum inftitutus eft: & in fupremis Franciae tribunalibus, quae funt Lutetiae, per gradus ad fummos honores adfcendit: & diferti patroni, & religio-

giosi judicis, & sapientis praesidis muneribus functus, communi Parlamentorum invidia sub Lodovico XV implicitus & Lutetiâ relegatus, à Lodovico XVI in illius consilii principem locum positus à MDCCLXXXVIII, proximo anno obiit. Ejus fidem, innocentiam, beneficientiam, industriam, caeterasque virtutes prorsus amabiles, egregia imagine depingit Dacierius: quam referre quum difficile sit, tum eo minus opus est; quod Ormessonius omnem operam & vitam in publicis negotiis consumsit, nec ullum literati studii opus prodidit, quod quidem hoc in Elogio memoretur.

Gabriel Broterius (*M. l'Abbé Brotier*) hominibus doctrinae studiosis cognitus editionibus Plinii Majoris & Taciti, natus Tannaci (*Tannay*), Literis eruditus Lutetiae, anno MDCCXL, aetatis decimo & septimo, nomen dedit Societati Jesuitarum, & ejusdem casu labefactatus est anno MDCCLXII, quum adhuc Bibliothecae in Collegio Lodovici Magni praefuisset, & modo proxime antecedente anno professionem edendi Taciti divulgasset. Itaque proscriptus & exsul, in Belgio, Germania, Italia vagatus, sexto anno rediit: ac triennio postea a. MDCCLXXI Tacitum edidit Parisiis tribus voluminibus quartanis. Plinii contextus ab eo constitutus prodiit a. MDCCLXXIX: copiis variarum lectionum ab Hardui-

duino congeſtarum, & ab eruditisſimo viro Turre-Rezzonico collatarum, additis aliis ab ipſo comparatis, centum erant codices ſcripti totidemque editiones; unde bis mille locos priſtinae ſanitati reſtituisſet: quo accedebant ſex mille annotationes brevitate & opportunitate ad intelligentiam auctoris accommodatae, explicatio vocabulorum in artibus à Plinio tractatis uſurpatorum. Hae vero emendationes & annotationes, utrum jam exſtent in illa contextus editione, an adhuc exſpectentur: item, quot hujus editionis volumina, qui modus, ſit: non ita perſpicue declaravit hujus Elogii ſcriptor, ut diſerte intelligamus. De Tacito quidem judicium Erneſti exſtat Bibliothecae Latinae Tom. II, p. 399: Plinium autem ſe nondum vidisſe ſignificat Saxius Onomaſtici Literarii Part. VIII, p. 376, anno MDCCCIII. Broterius autem decesſit MDCCLXXXIX, teſte hujus Elogii ſcriptore, multas relinquens adverſariorum copias: veluti apparatum Plinianum: materiam augendae hiſtoriae Francicae, praeſertim tractus Nivernenſis, continuandis Henaultii Breviario Chronologico, & Bosſuetii Hiſtoriae Univerſali, & in utrumque hoc opus animadverſiones: tum vero annotationes in Vellejum Paterculum, Suetonium, Florum, quos correcto caſtigatoque contextu ad eamdem rationem edere conſtituebat, ad quam ediderat Taci-

tum,

tum, Plinium, Phaedrum, & Rupifulcaldum (*Rochefoucault*). De quibus poſtremis duobus mentio nobis plane nova & mira accidit; ſiquidem quid Broterio cum illis negotii fuerit nusquam alibi in hoc Elogio legimus. Caeterum ſchedas illas Broterius reliquit nepoti cuidam ſuo, homini ingenioſo; quem earum editione deſideriis ſtudioſorum ſatisfacturum ſperamus.

Jamque multas paginas de hoc libro conſumſimus, nec niſi dimidium unius Tomi confecimus, quod *Hiſtoriae* nomen habet; quo breviores in caeteris nos esſe oportebit.

COMMENTARII. (*Mémoires*).

Nicolai Frereti Obſervationes Generales de origine & antiqua hiſtoria primorum incolarum Graeciae (p. 1—134.) Magna fuit in hoc viro antiquitatis hiſtoriaeque ſcientia, magna in rerum interpretatione ſagacitas, ſed ſubinde cupiditas ſententiae, praejudicatâ opinione ſibi probatae, falſis quamvis rationibus tuendae. Multae ſunt ejus disputationes in Academiae Actis vulgatae; multae etiam nondum editae in ejus ſcriniis relictae erant: quas ſeorſum edendas poſt mortem viri MDCCXLIX mandavit Academia hujus in Scribae munere ſuccesſori Bougainvillio. Qui quum ipſe morte immatura praereptus non

non nisi partem mandati efficere potuisset; Academia longo intervallo rursus a. MDCCLXXXVII curam hujus negotii suscipiens, judices legit è Sociis qui sibi referrent quae illarum disputationum ejusmodi essent ut ederentur. His referentibus, non nisi tres hujusmodi reperiri disputationes: hanc, cujus titulum proscripsimus: alteram, *de condemnatione Socratis:* tertiam, *de situ quorumdam Galliae Belgicae populorum;* reliquarum argumenta aut tota, aut maximam partem, post Freretum ita tractata esse, ut earum editio supervacanea videretur; factum est, ut illae huic Tomo includerentur. Contextui subjectae sunt haud infrequentes notulae ad Historiam & grammaticam rationem pertinentes, additae ab aliis viris non nominatis quidem, sed tamen accurate doctis, ut res ipsa ostendit. Tituli autem Capitum hi sunt: *Observationes constituendo argumento & proposito scriptionis hujus: Descriptio Graeciae: Adventus coloniarum, & mutationes per eas factae: De epocha coloniarum: De religione coloniarum: De Mysteriis: De origine Graecorum secundum traditionem Judaeorum: Graecorum de sua origine opiniones antiquitus traditae: De origine populorum Asiae Minoris eorumque lingua: Conclusio: Additio De Chronologia Aegyptiaca.* Nobis quidem judicibus, totum hoc argumentum plenius accura-

ratiusque à Larchero ad Herodotum tractatum eſt; quamquam & Frereto laus debetur doctrinae & acuminis in ſingularium partium obſervatione.

Joannis Jacobi Barthelemyi Periculum Palaeographiae Numismaticae. Pars Altera. (p. 140—204.). Egregius ſcriptor quadraginta circiter annis ante Academiae tradiderat Priorem Partem, editam in ejus Actis Tomo XXIV. Eſt autem is merito celebrandus, qui primus Francicâ lingua florentis Graeciae imaginem eam exhibuerit, in qua formanda Muſae cum Gratiis conſpiraverint, id eſt & veram & jucundam, in qua & formae orationisque ſuavitas, & accurata doctrina ex veterum Auctorum & grammaticae rationis fontibus ducta, conſtaret: librum dico inſcriptum *Peregrinationem Anacharſidis juvenis*, nemini humaniori ignotum, nec idcirco nobis reticendum. Sed fuit hoc ei opus tempore vitae medium. Nam initia tribuerat ſtudio Numismatum & Inſcriptionum, Antiquitatis, Hiſtoriae, Scriptorum: &, edito Anacharſide, ad Numismata & Inſcriptiones rediit: cujus poſtremae operae fructus ſunt & aliae ſcriptiones, & haec altera Palaeographiae Numismaticae Pars, nondum illa tamen abſoluta: cujus ex priore Parte cognitâ vir in hoc genere princeps, Joſephus Ekhelius, conſilium ſuſcepiſſe videtur adumbrandae Pa-

Palaeographiae Numismaticae in Capite XVII Prolegomenorum, quae praemisit Volumini Primo *Doctrinae Nummorum Veterum* editae Vindobonae a. MDCCXCII, octo voluminibus formae quartanae: qua licet brevi adumbratione nunc desiderium uberioris operae Barthelemyanae consolandum est. Hujus jam Capitum argumenta deinceps apponamus. I. *Tempora ex quibus non amplius reperiuntur Nummi Graeci aversa parte cavi* (*l'Aire en creux*), id est, incuso quadrato, depresso infra superficiem: de quibus secundum Barthelemyi rationem Priore Parte traditam exponit Ekhelius libro laudato p. LXIV. II. *Tempora, quibus coepit mos arearum cavarum.* III. *De typis, inscriptionibus, & formis literarum.* IV. *De Nummis Vrbium Magnae Graeciae:* quarum deinceps momina ponuntur: *Pixus* & *Siris*, *Metapontum, Sybaris & Thurium, Laos, Caulonia, Croton, Posidonia, Tarentum, Rhegium, Thurium, Velia, Neapolis, Cumae, Locri, Capua: De nummis Anaxilai, vel Messanae: Fragmentum Animadversionis de Daricis, Cyzicenis, & modo stipendii militum Graecorum, Statere aureo Attico.*

Nicolai Fréreti Observationes de caussis & temporibus, quae ad Socratem capitis condemnandum valuerunt (p. 209 — 282.). Nullam partem harum caussarum tribuendam esse odio So-

ab ipso locis & seorsum vulgatis contenti esse debemus. Qui loci, quod sciamus, duo sunt: alter hic, de quo agimus, Commentarius recitatus in consessu Academiae a. MDCCLXXXVII: alter in Prolegomenis ad Scholiasten Iliadis Venetum p. 57. seq. In principio propositi nobis Commentarii, urbes, insulas, regiones à se lustratas nominatim enumerat: quae tot sunt, ut eorum nomina fere majorem paginae partem expleant: cujus quum similem enumerationem, eamque nonnullis novarum rerum indiciis auctiorem quam hanc praesentem, nobis perscripserit in literis d. VII Novembris a. MDCCLXXXVII ad nos datis, gratum nos lectoribus nostris facturos speramus, eâ hoc loco apponenda: „ Satisfeci" inquit „ tandem desiderio vehementi, videndae „ Graeciae, quo tenebar. Vidi, & accurate „ pervidi Constantinopolin, vicinasque ejus re„ giones & urbes, Chrysopolin (Scutari nunc „ dictam): Callipolin: Dardanellas: Tenum „ (Tine): Myconum: Rheneam & Delon, „ (majorem & minorem Delon): Parum: „ Naxum: Patmum, celebremque ejus bibliothe„ cam: Amorgum, ejusque bibliothecam nemini „ nostrorum hominum antea visam: Lerum: „ Con: Lesbum (Metelinam), ejusque biblio„ thecas: nam & alias omnes in omnibus, quos „ peragravi, locis bibliothecas inspexi, & Leri

„ & Coi: Scium: Tenedum: Lemnum: Thessa-
„ lonicam: montem Athon, ejusque urbem
„ praecipuam Caries, caput confederationis
„ viginti monasteriorum: Sciathum: Euboeam
„ (Negroponte): Aulidem: Thebas: Mega-
„ ram: Salaminem (Colouri): Corinthum:
„ Argos: Neapolin Romaniae, quae est vetus
„ Nauplium: Tripolissa: Misitra: Spartam
„ (Magoula): Amyclas (Sclavochori): Li-
„ gourium: Gerum: Epidaurum: Tzaconiam,
„ regionem Eleuthero-Laconum, qui non con-
„ fundendi sunt cum Magnotibus. Apud hos,
„ Tzaconiotas, seu Eleuthero-Laconas reperi
„ dialectum Doricam, multaque vocabula non
„ nisi apud Pindarum & Theocritum servata:
„ ipsisque mihi dictantibus, conscripsi hujus lin-
„ guae Lexicon & Grammaticam, valde utiles
„ veteris dialecti studiosis. Hinc Aeginam pro-
„ fectus sum. Athenas: Anchesmium (montem
„ Sancti Georgii): Hymettum: Pentelicum:
„ Cephisiam: Marathonem: Cerata: Laurium:
„ Thoricum: Corydalum: Eleusinem: portus
„ Munychiae, Piraei, Phaleri: Ceon Insulam
„ (Zea): Cythnum (Thermia): Andrum:
„ Syrum: Jum (Nio): Theram, (Santori-
„ num): Anaphen, (Nanfi): Sicinum: Phole-
„ gandrum (Policandro): Cimolum (l'Argen-
„ tière): Siphnum: Antiparum (Olearum):

„ Asty-

„ Aſtypalaeam, (Stampalie): Adiceriam: Coraſias, (quas opinor eſſe nunc dictas Kouphoniſi): Smyrnam: Epheſum: Bournabam: Chagilar: Bournabachium: Narlikoui: caet. En paucis verbis itinerarium meae peregrinationis: cujus aliquando amplam & omnibus ſuis partibus expletam Enarrationem dabo. Inſcriptionum ubique largam feci meſſem nondum editarum. Multa obſervavi nova de moribus, inſtitutis, caerimoniis, religionibus, ſuperſtitionibus, veſtimentis, hodiernorum Graecorum cum antiquis Graecis comparatione: quae magnam lucem adferant cum univerſae antiquitati, tum plurimis Auctorum locis, quos adhuc minus intellexeram; quod Graecos hodiernos non vidiſſem. Nunc, ut cum maxime Scriptores Graecos & Latinos omnes à principio ad finem perlego & confeſtim excerpo, ut lecta cum viſis comparem. Auctorem veterem Graecum ineditum ne unum quidem inveni, & editos adeo paucos, in bibliothecis montis Atho, Patmi, Amorgi, Hymetti, Siphni, Lesbi: in quibus non ſunt niſi Biblia, Evangelia, Lectionaria, Homiliae, Canones, Vitae Patrum. Haec aequi bonique conſulenda ſunt." In hoc autem, quem in manibus habemus, Commentario cum multae ſunt Inſcriptiones breviores, tum

quaedum etiam longiores; quaedam nunc primum, quaedam verius quam antea, editae: quarum vel solas potiores referre majus quam pro nostro instituto sit. Quaedam tamen non reticendae: in his Astypalaeensis, continens verba foederis Astypalaeensium cum Romanis, p. 285, de qua plura dixit Villoisonus in Prolegomenis ad Scholiasten Iliadis Venetum p. 54. Aliae deinde Astypalaeenses & Anaphaeae, dialecto Dorica, qua pleraeque sunt Inscriptiones in Maris Aegaei Insulis. In Lesbo vidit eam, quam è Gallandi schedis, ut ab hoc in ruderibus Trojae repertam, ediderat Sponius in Miscellaneis Erud. Antiq. p. 348: quae rectius descripta est à Villoisono sic:

Α ΒΟΛΑ ΚΑΙ Ο ΔΑΜΟΣ
ΑΥΛΟΝ ΚΛΩΔΙΟΝ ΠΕΡΕΝ
ΝΙΑΝΟΝ ΣΤΡΟΤΑΓΗΣΑΝ
ΤΑ ΑΓΝΩΣ ΚΑΙ ΕΥΣΤΑΘΕΩΣ
ΕΝ ΚΑΙΡΟΙΣ ΕΠΙΜΕΛΗΙΑΣ
ΔΕΥΟΜΕΝΟΙΣ ΤΟΝ ΕΙΡΕΑ
ΚΑΙ ΑΡΧΕΙΡΕΑ ΚΑΙ ΛΟΓΙΟΝ
ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΑΓΩΝΟΘΕΤΑΝ
ΕΝΙ ΕΝΙΑΥΤΩ ΠΕΠΛΗΡΩΚΟΝ
ΤΑ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΝ ΤΑ ΠΡΩΤΑ
ΠΑΤΡΙΔΙ ΚΑΙ ΝΕΟΚΟΡΟ ΠΕΡΓΑ
ΜΗΝΩΝ ΤΩΝ ΣΥΓΓΕΝΕΩΝ

ΠΟ-

ΠΟΛΕΙ ΤΑΝ ΕΠΩΝΤΜΟΝ
ΑΠΤ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΡΤΤΑΝΙ-
ΑΝ ΕΚ ΓΕΝΕΟΣ ΔΙΑΔΕΞΑΜΕ
ΝΟΝ ΤΟΙΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΒΩΜΟΙΣ....

Haec verior ſcriptura differt à Sponiana: quae verſu ſecundo pro ΠΕΡΕΝΝΙΑΝΩ dat Γ. Τ. ΕΡΕΝΝΙΑΝΩ: tertio ΣΤΡΑΤΑΓΗΣΑΝΤΑ pro ΣΤΡΟΤΑΓΗΣΑΝΤΑ, quae verbi forma aliquoties in his Inſcriptionibus reperitur: ſexto & ſeptimo ΙΕΡΕΑ & ΑΡΧΙΕΡΕΑ: nono ΠΕΠΛΗΡΩΚΟΤΑ: decimo ΛΑΜΠΡΩΤΑΤΑ: undecimo ΝΕΟΚΟΡΩ: duodecimo ΣΤΝΓΕΝΕΩΝ; quod autem hic & ſequens verſus in unum conjuncti ſunt, fortaſſe eſt operarum vitium in hoc exemplo Villoiſoni: qui tacet, nec taciturus fuiſſet, ſi haec diverſitas adfuiſſet: decimo tertio ΑΠΟ pro ΑΠΤ: ultimo ΒΑΘΜΟΙΣ ΑΝΕΛΟΓΗΣΕ, quorum poſterius jam in marmore detritum & evanidum Villoiſonus non agnovit: qui, & ſcripturam intelligenter tuetur, ut partim à ſculptore, partim à dialecto profectam: & res ipſas ex hiſtoria & antiquitate docte interpretatur. Aliam animadvertimus p. 302, quam Theſſalonicae in domo Ruffini, docti & humani negotiatoris ſervatam refert:

ΤΗ ΦΙΛΑΝΔΡΩ ΚΑΙ ΓΛΥ
ΚΥΤΑΤΗ ΣΥΜΒΙΩ ΕΠΙΚΤΗ
ΣΕΙ ΑΠΟΔΕ-
ΜΙΟΣ ΕΚ ΤΩΝ
ΚΟΙΝΩΝ ΚΟΠΩΝ ΚΑΙ ΕΑΥ
ΤΩ ΖΩΝ.

quam ſic vertit Villoiſonus: *Viri amantisſimae & dulciſſimae conjugi Epicteſi Apodemius ex communium laborum fructu ſibique vivens:* ſcilicet ſubaudienda reliqua, *hoc monumentum poſuit.* Nobis ad illa nomina, ΑΠΟΔΕΜΙΟΣ & ΕΠΙΚ-ΤΗΣΕΙ, ſupicio venit, ea non eſſe propria, ſed appellativa, ut ſit ἀποδήμιος ἐπὶ κτήσει, *peregre abſens pecuniae quaerendae cauſa;* ut nomina propria in principio quondam poſita perierint. In vicinia Smyrnae, quae urbs fluvium ſuum Meletem in Diis colebat, templum Mohamedanum columnam habet ſic inſcriptam:

ΥΜΝΩ ΘΕΟΝ
ΜΕΛΗΤΑ ΠΟΤΑΜΟΝ
ΤΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΜΟΥ
ΠΑΝΤΟΣ ΔΕ ΛΟΙΜΟΥ
ΚΑΙ ΚΑΚΟΥ ΠΕΠΑΥΜΕΝΟΥ.

In qua ſatis apparet auctorem duos jambos ſenarios voluiſſe, fortaſſe hos, praeſcripto ΥΜΝΩ

ΥΜ-

ΥΜΝΩ
ΘΕΟΝ ΜΕΛΗΤΑ ΠΟΤΑΜΙΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΜΟΥ
ΠΑΝΤΟΣ ΤΕ ΛΟΙΜΟΥ ΚΑΙ ΚΑΚΟΥ ΠΕΠΑΥ-
ΜΕΝΟΣ.

Sed paucae diſerte apponuntur in hoc Commentario Inſcriptiones, plurimae narrando ſaltem ſignificantur: in his unam in primis vellemus appoſuisſet Villoiſonus βουστροφηδὸν ſcriptam: quam in Salamine Inſula reperisſe ſe teſtatur p. 308. Ibidem repertae Inſcriptionis hoc initium memorat p. 342:

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΑΓΩ
ΝΟΘΕΤΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΕΠΙ ΦΙΛΟΠΑΠ
ΠΟΥ ΚΑΙ ΑΙΛΙ
ΑΝΟΥ ΟΙΔΕ ΗΛΘΟΝ
ΤΗΣ ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ
ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ

cui aliquando integrae edendae commode adhibebitur Plutarchus narrans de hujusmodi Athenis Tribuum certamine, & agonetheta Antiocho Philopappo rege, in Sympoſiacis I, 10, initio. quem eumdem eſſe, cui librum De Discrimine Adulatoris & Amici inſcripſit, quique filius aut nepos Antiochi Syriae Comagenae regis, regno ab Veſpaſiano ſpoliati, privatus Athenis vixit, no-

nomenque βασιλέως retinuit, & pluribus in Inscriptionibus memoratur: ut ostendimus in Animadversionibus nostris ad Plutarchum p. 48. Hanc autem si integram videremus, & ipsi & Plutarcho fortasse aliquid lucis adferremus. Sed haec hactenus.

Observationes de Saris Chaldaeorum & de incredibili annorum numero, quem regnis primorum regum suorum assignant: scripsit J. Guignesius (*de Guignes*) (p. 345—378.) *recitatae d.* XII *Julii a.* MDCCLXXXV. Chaldaei, teste Beroso, cujus testimonium servavit Syncellus Chronographiae, p. 17, in definienda temporum mensura tribus cyclis utebantur: quorum primus, *Sosus*, erat sexaginta annorum: alter, *Nerus*, sexcentorum annorum: tertius, *Sarus*, ter mille & sexcentorum annorum: primis autem decem regibus, qui ante diluvium fuerunt, centum & viginti *Saros*, qui sunt anni quadringenti & triginta duo mille (432,000), tribuerunt. Hos annos non esse nisi totidem dies, ut narrat ibidem Syncellus & p. 34, statuerunt Anianus & Panodorus monachi, qui fuerunt nostrae aerae circiter a. CDXI; reprehendentes Eusebium communes annos intelligentem. Quorum sententiam secutus est Jos. Scaliger, Canone Isag. p. 251, censens annum Chaldaicum, duodecim mensibus triginta die-

dierum: *Sarum* (quod est nomen Lunae & mensis) autem diebus triginta, sive mense: praeterea his populis *magnum annum*, sive *annum Dei*, tribuens, continentem MCDXL (1440) annos communes: & *Sarum periodicum*, annorum communium CXX (120): & *Sarum magnum*, ter mille & sexcentorum annorum communium (3,600), seu triginta Sarorum periodicorum. Ab his initiis profectus Guignesius rem ad majorem probabilitatem adducit comparatione rationum, quibus in computando tempore usi sunt antiquissimi populi doctrinâ prae aliis clari, Aegyptii, Persae, Indi, Sinenses, valde congruentes cum Chaldaeis & Babyloniis: multumque hac in comparatione & eruditionis explicat & acuminis: nec in hac nobis proposita brevitate referri potest. Summa & conclusio haec est: Tempus illud decem regum ante diluvium, quasi semideorum ac fabulosum, redigi ad annos mille ducentos: quo spatio contineri annum magnum Chaldaeorum, qualem item celebrarunt alii populi & Graeci philosophi: quo finito, novus annus novusque mundus oriri putabatur: talibus annis unius diei Berosum uti in tempore significando illo, quod fuit ante aeram Nabonassaris, in postero autem communibus annis: & quod narrat, se Babylone veterem historiam spatii centum & quinquaginta millium

(150,

(150,000) annorum conſcriptam vidisſe, id, ſi anni unius diei intelligantur, revocari ad annos communes 416, quos additos annis 325, quibus Alexandri obitus aeram Christianam anteceſſit, proxime ad initium aerae Nabonasſaris adſcendere, quod ponitur anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo (747) ante aeram Chriſtianam. Idem temperamentum adhibitum numero prodito à Cicerone Divinat. I, 19, II, 46, 470,000, & Diodoro Siculo II, 31, 475,000, annorum à Chaldaeis in notandis aſtris ac temporibus conſumtorum, probabilitatis fidem tuebitur. Nam ſecundum Plinium quidem Hiſt. Nat. VII, 56, Beroſus ſpatium illud fecit 480 annorum: Epigenes 720: quae cum utriusque aetate conveniunt; ſiquidem ille ſub Alexandro, hic ſub Auguſto vixit: Calliſthenes, 1900, quorum initium attingat annum ante noſtram aeram 2222, quo tempore initium regni Asſyriaci, & Belus, ponitur. In Beroſi ratione annorum ante diluvium apparent veſtigia opinionis Indorum, Diis majores annos quam hominibus tribuentium: veluti in libro eorum Bagavadam dicto hoc fertur, annum humanum non eſſe niſi diem divinum, 150,000 annos humanos inſtar esſe 4000 annorum divinorum, millia annorum divinorum aequare Brahmae unum diem duodecim horarum. Manifeſtiora etiam indicia exſtant conſenſus cum nar-

narratione Mosaica, in traditione de mundi creatione & diluvio, quam traditionem ex Beroso refert Alexander Polyhistor apud eumdem Syncellum p. 28 & 30. Nos, quamquam in antiquissima illa Historiae parte suos cuique populo fastos relinquendos, nec aliorum jugo fastorum subjiciendos censemus, & quasdam etiam, quominus nobis sententiam suam plane probet scriptor, difficultates superesse animadvertimus; laudem tamen ei debitam ingenii doctrinaeque cumulate tribuimus.

Ejusdem Commentarius de origine Zodiaci & Calendarii Orientalium, diversarumque constellationum coeli eorum astronomici (p. 378—434.) *recitatus d.* XVII *Junii a.* MDCCLXXXVIII. Est hoc quasi excerptum majoris necdum editi operis de Aegyptiis & Sinensibus, ex quo, quae ad hoc argumentum pertinebant, collegit, aliunde locupletavit, & in unum hunc Commentarium conduxit, egregius scriptor. Summa sententiae haec est. Orientalium Zodiacus hodiernus à Graecis venit; antiquus ab hoc diversus est. Ipsi Graeci suum ab Aegyptiis acceperunt, sed ejus duodecim signa perperam ad astra accommodarunt, ex iisque quasdam figuras animalium, ζωδίων, informarunt, signa illa, unde Zodiacum dixerunt circulum, quem Sol annuo cursu conficit distributum in duodecim partes, id est menses,

ſes, quorum cuique ſuum ſignum asſignatum erat. Nam hactenus Aegyptii cum Graecis conſentiebant, quod cuique menſi ſuum ſignum praefecerunt v. c. Arietem, Taurum, caet.: in eo autem disſentiebant, quod non item ad horum animalium ſignorumque ſimilitudinem conſtellationes informabant, ſed ea ad ſignificationem proventuum naturae officiorumque vitae, menſibus quibusque propriorum, referebant. Horum opinione, à prima omnium rerum cauſſa ac principio, duo alia principia prodierunt, *Oſiris* & *Iſis*, ille Coelum, Sol, Nilus, haec Terra & Luna: ad quorum beneficia, hiſtoriam, feſta, fere menſium nomina & ſigna pertinebant. Cum his mirifice conſentiunt Sinenſes, item ſtatuentes à prima omnium rerum cauſſa ac principio duo alia prodiisſe principia: primum, dictum *Yang*, marem, Coelum, patrem omnium rerum: alterum *Yn*, foeminam, Terram, matrem omnium fructuum: illum ſignificabant una linea recta majore, hanc duabus minoribus lineis rectis continuis: harum varia deſuper deorſum poſitura duodecim ſigna menſium efficiebant, quibus ſignis eorumque nominibus alterius prae altero principio facultatis vicisſitudines notabantur; menſis item quisque in duas partes dividebatur. Praeterea Sinenſium diſtributio Coeli fuit duplex, altera propria, altera cum aliis

Orien-

Orientalibus communis. Illa erat quasi imago aulae maximi regis: stella polaris, veluti immota, habebatur domicilium Vnitatis, id est primi principii totius universitatis: quam circum vicinae constellationes palatii instar censebantur: huic ad latus aliud palatium, dictum *Solium quinque Imperatorum:* alia in parte *forum coeleste.* Quae fere congrua sunt Stoicorum placito, Mundum esse civitatem Deorum & hom num: & ita stellas magistratus quosdam, Vesperum Praefectum Vrbi: quae ridet Plutarchus De Communibus Notitiis Adv. Stoicos p. 1076, F. Communis vero cum Persis, Arabibus, Coptis, Indis, totius Coeli in XXVIII constellationes distributio; quae deinceps explicatur. Caeterum, populos antiquissimos in tempore ordinando, Coelo describendo, Ecliptica constituenda, prius Lunam, quam Solem, ducem secutos esse, prius annum Lunarem usurpasse: quem ut cum postea demum Solari cognito aequarent, uno mense intercalari auxisse: verissima est scriptoris animadversio.

Nicolai Frereti Observationes de situ ac positione quorumdam populorum ac locorum Galliae Belgicae, quum à Romanis subigebatur: (p. 435 — 457) *recitatae* a. MDCCXLVI. Referuntur hae Observationes ad illam partem Commentariorum Caesaris De Bello Gallico; ut non solum horum interpretibus & editoribus utiles

 fu-

futurae sint: sed multis etiam populorum regionibus, locorum distantiis ac situ; accuratius definiendis, aliquantum adferant lucis huic argumento ejusque scriptoribus, praesertim recentioribus, Cluverio, Valesio, Samsono, Cellario, Danvillio. Caeterum, ad perspicuitatem & intelligentiae facilitatem multum valuisset accommodata his Observationibus tabula geographica, quam desideramus. Editor earum in nota principio subjecta monuit, eas videri a Frereto destinatas ad respondendum libro Levesquii Ravalierii (*Levesque de la Ravaliere*) inscripto, *Illustratio loci ex libro* IV *Caesaris de Bello Gallico:* cujus epitome exstat edita in Historia Academiae Inscriptionum, Tomo XVIII, p. 212.

Haec fuit unius Tomi materia, brevissimo compendio & quasi punctis notata. Caeterorum mentionem Tomorum ne in sequentis Philomathiae incertum tempus differentes obsolescere sinamus; nunc titulos duntaxat singulorum Commentariorum referamus.

TOMVS XLVIII.

SANCTOCRVCII *Dissertatio de interitu Babylonis.* (p. 1—36.)

LARCHERI *Disquisitiones & Conjecturae de rebus Cadmi & praecipuis eventis ejus historiae.* (p. 37—82.)

EIVS-

EIVSDEM, *de ordine equestri Graecorum, in primis Athenienſium & Lacedaemoniorum.* (p. 83—103.)

SANCTOCRVCII, *de antiquarum Siciliae civitatum forma, legibus, adminiſtratione.* (p. 104—146.)

EIVSDEM, *de multitudine & numero hominum in Attica viventium.* (vulgo *populatio:*) (p. 147—175.)

EIVSDEM, *de Metoecis* (μέτοικοι), *id eſt incolis, ſeu peregrinis, qui Athenis habitabant.* (p. 176—207.)

LARCHERI, *de Hermia, Ariſtotelis affine, hujusque necesſitudinis adverſus obtrectatores defenſio.* (p. 208 — 251.)

EIVSDEM, *de Feſtis Graecorum, quorum mentio ab hujus argumenti ſcriptoribus Caſtellano & Meurſio omiſſa eſt:* (p. 252 — 322.) Horum haec ſunt nomina: *Ambroſia: Junonis Acraeae: Bos Iovis: Adraſtea: Dioclea: Stenia: Hyſteria: Euclea: Hercynnia: Anacea: Eurygyae, filii Minois, ludi funebres: Herochia: Hyperboea: Oleria: Galinthiadia: Aſclepia: Erotea Baſilea: Hippolyti: Theodaeſia: Iovis Clarii: Barbillea: Thaurocathapſia: Lycea: Communis Aſiae: Apollinis Triopii: Apollinis Maloentis: Synoecia: Tenis: Arneides: Cynophontis: Delia: Damiae & Auxeſiae:*

 Eleu-

Eleutheria: Certamen de Pallio in urbe Pallene: Carnea: Theoxenia.

EIVSDEM, *de Sacris Nuptiis Iovis & Iunonis.* (323—336.)

I. I. BARTELEMII, *Disſertatio de antiqua Graeca Inſcriptione, quae ad vectigalia Athenienſium ſpectat, & numeros pecuniae continet à quaeſtoribus aerarii privati expenſos.* (337—407.) Hujus praeſtantiſſimae & ad Atticae antiquitatis cognitionem multas novas partes adferentis, & Inſcriptionis & Disſertationis, ea eſt diſtributio; ut primum ipſius Inſcriptionis exemplum aere expresſum apponatur: deinceps ei illuſtrandae haec capita ſubjiciantur: Narratio de ejus reperiundae occaſione, loco, auctore, & comparatio cum ſimilibus Inſcriptionibus: De Prytaniis: De Magiſtratibus in ea memoratis: Analyſis ejus, i. e. interpretatio grammatica & hiſtorica: Inſcriptio eadem Gallice reddita. Annotatio: de forma quarumdam literarum: de litera Γ loco literae N poſita: de pretio alimentorum: Pyanepſion quartusne an quintus fuerit Atticus menſis: Dionyſiaca Piraei eadem fuisſe quae Ruſtica: Tabula Prytaniarum, quinque paginis, per decem Tribus & duodecim menſes digeſta.

I. I. GARNERII (Garnier) *de operibus Epicteti.* (p. 408—454.)

EIVS-

EIVSDEM *de Tabula Cebetis.* (p. 455—483.)

A. I. SILVESTRI SACYI, (Silvestre de Sacy) *de compluribus partibus Historiae Arabum ante Mahometem.* (p. 484 — 762.) Hujus Commentarii haec sunt capita: Tabula Genealogica majorum Mahometis: Tabula Chronologica regum regni Yemeni: Tabula Chronologica dynastarum Meccae, ex familia Khozaa: Tabula Chronologica regum Hirae: Tabula Chronologica regum Gassanae: Excerpta Scriptorum Arabicorum & Persarum confirmandae in antecedentibus capitibus narrationi: Excerpta eadem, ipsorum lingua & oratione, Scriptorum.

I. GVIGNESII, (de Guignes) *Narratio de compluribus familiis Iudaicis antiquitus in Sina habitantibus.* (p. 763—772.)

DE EIVSDEM *vita & operibus brevis memoria*: nati MDCCXXI, mortui MDCCC. (p. 770—773.)

TOMVS XLIX.

A. I. SILVESTRI SACYI, *Commentarius de Versione Arabica librorum Moysis, in usum Samaritanorum, & de codicibus scriptis hujus Versionis: eorum Collationes, Excerpta: item Excerptum è Scholiis Abu-Saïdi.* (p. 1 — 199.)

FRANCISCI ARNALDI, (de l'Abbé Arnaud) *de Vita & Operibus Apellis.* (p. 200 — 221.)

COMITIS CASTRI OASEOLI GOFFERII, (de Choiseul Gouffier) *de Hippodromo qui adhuc Olympiae exstat.* (p. 222 — 238.)

FR. ARNALDI, *de Catullo.* (p. 239 — 261.)

G. H. GAILLARDI, *de Horatii ratione in tractandis fabulis Aesopicis, id est, Apologis.* (p. 262 — 278.)

EIVSDEM, *de Ovidii opere Metamorphoseum, artificio variandi uniformis argumenti: propositum & via: virtutibus & vitiis: imitationibus.* (p. 279 — 358.)

SANCTOCRVCII, *de legitima auctoritate Augusti.* (p. 359 — 384.)

EIVSDEM, *de clauso templo Jani.* (p. 385 — 404.)

EIVSDEM, *de Hadriani Caesaris studio & ratione, in Philosophia, Iurisprudentia, Literis & Artibus.* (401 — 457.)

EIVSDEM, *Index hominum Literis & Artibus clarorum, Seculo II nostrae aerae.* (458 — 465.)

EIVSDEM, *Observationes de Zosimo.* (p. 466 — 500.)

H. P. AMEILHONI, *Commentarius in fragmentum Inscriptionis in tabula aenea incisae,* re-

repertae Tuneti, *Academiae mandata à Luzerneo* (M. de la Luzerne) *Regio Administro*, *rei nauticae praefecto*. (p. 501 — 511.)

A. H. ANQVETILI PERRONI, (*Anquetil Duperron*) *Primus Indiae fluvius Ganges Antiquorum*, *explicitus comparatione Gangis hodiernorum*: *item de fluviis regionis Thibetanae*: *Supplementum*, *de lingua Sanscroutana*: *Index librorum Persicorum*, *Arabicorum Sanscroutanorum*, *Pehlaviorum*, *Zendiorum*, *quibus scriptor usus est in India*: & *aliorum*, *quos dono acceptos à Gentili* (*Gentil*) *tradidit Bibliothecae Regiae a.* MDCCLXXVII. (512 — 714.)

J. J. GOSSELINI, *Disquisitiones de Serica regione Antiquorum*, & *quibus finibus eorum cognitio Asiae Superioris circumscripta fuerit*. (p 715 — 749.)

EIVSDEM, *de finibus*, *quibus Antiquorum cognitio orae meridionalis Africae circumscripta fuerit*. (p. 750 — 786.)

TOMVS L.

A. H. ANQVETILI PERRONI, *de migrationibus Mardorum*, *antiqui Persici populi*: *Commentarius Posterior*. *Quinta Epocha*, *à* VII *ad* VIII *Saeculum Aerae Christianae*. *Sex-*

ta eademque ultima migratio, *ſpectans Mardos in Libano monte.* (p. 1 — 47.)

SANCTOCRVCII, *de principatu Parthorum.* (p. 48 — 78.)

EIVSDEM, *de magnitudine & finibus Imperii Parthorum*, *ſive Animadverſiones de ſtathmis Iſidori Characeni.* (p. 79 — 107.)

EIVSDEM, *Disquiſitiones Geographicae & Hiſtoricae de Media.* (p. 108 — 141.)

A. GVENEI, (*Guénée*) *de Iudaeae fertilitate inde à captivitate Babylonica usque ad noſtram aetatem.* (p. 142 — 246.) *Commentarius* I, *à captivitate Babylonica usque ad expeditionem Hadriani Caeſaris contra Iudaeos. Commentarius* II, *ab Hadriano Caeſare ad Omarum Chalifam a.* 637. *Commentarius* III, *ab Omaro usque ad receptam à Francis Hieroſolymam a.* 1099. *Commentarius* IV, *inde usque ad Selimum* 1515. Accedit nota de vita A. Guénéi, nati a. MDCCXVII, mortui a. MDCCCIII.

A. J. SILVESTRI SACYI, *Commentarius de origine & antiquis monumentis Literaturae inter Arabes.* (p. 247 — 440.)

DAVIDIS HOVARDI, *de Antiquitatibus Gallicis.* (p. 441 — 498.) Accedit nota de vita ſcriptoris, nati a. MDCCXXV, mortui a. MDCCCII.

B. I. DACIERII, *de more in Francia obſervato*, *quum Reges acquiſiverunt Feudum ab ipſorum*

rum ſubjectis pendens. (p. 499 — 519.)

L. G. OUDARTI FEVDRIXII BREQVIGNYI, (*Oudart Feudrix de Bréquigny*) *de vicario regni adminiſtrandi munere in Francia* (*les régences*). (p. 520 — 552.)

GERMANI POIRERI, *Cenſura variarum opinionum ab Hiſtoricis veteribus & recentioribus proditarum de ratione & modo, quo Hugo Capetus Rex Franciae factus ſit.* (p. 553 — 583.) Accedit nota de vita ſcriptoris, nati a. MDCCXXIV, mortui a. MDCCCIII.

FRANCISCI CLEMENTIS, *Commentarius de Epocha mortis Roberti Regis Franciae, & primo anno regni filii ejus Henrici* I. (p. 581 — 591.) Accedit nota de vita ſcriptoris, nati a. MDCCXIV, (facti Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri) mortui a. MDCCXCIII.

L. G. OVDARTI FEVDRIXII BREQVIGNYI, *Commentarius* II, *illuſtrandae hiſtoriae urbis Caleti, ejusque oppugnatae & expugnatae ab Eduardo* III, *Angliae rege.* (p. 594 — 622.) *Commentarius* III, *de eadem urbe ſub dominatione Anglica, ab anno* 1347 *usque ad finem regni Eduardi* III, a. 1377. (p. 623 — 645.) *Commentarius* IV, *de rebus ejusdem urbis ſub Anglis, usque ad eam à Francis receptam* a. 1558. (p. 646 — 664.)

LODOVICI RIPAVLTI DESORMEAVX, *Commentarius de morte Henrici Borbonii Condei*

Primi, eamque secutis suspicionibus (665—682.) Accedit nota de scriptoris vita, nati a. MDCCXXIV, mortui a. MDCCXCIII.

L. G. OVDARTI FEVDRIXII BREQVIGNYI, *Commentarius de negotio sollicitandis conciliandisque nuptiis habito Anglorum Reginae cum duobus deinceps fratribus Regis Franciae Caroli IX, Henrico Andegavensi postea Rege facto, & Francisco Alenconio.* (p. 684—719.) Accedit nota de vita scriptoris nati a. MDCCXIV, mortui a. MDCCXCIV.

J. J. GARNERII, *Commentarius de Conjuratione incertae fidei, sed vulgo tradita, adversus Ioannam Albretanam Navarrae Reginam ejusque natos inita.* (p. 722—745.) Accedit brevis notula de vita scriptoris nati a. MDCCXXIX, mortui MDCCCV. Et hujus, & Anquetili Perroni, & Ansfii Villoisoni memorias, in proximo Tomo Memoriarum, III *Classis Instituti*, in quam commutata est ea, quae adhuc fuerat *Academia Inscriptionum & Humaniorum Literarum*, editum iri, in eadem notula promittitur.

CORRIGENDA ET ADDENDA AD PRIORES TOMOS. (p 746—760)

Atque de his Tomis tribus postremis eorumque argumentis ita nunc retulimus, ut de quibus, si forte, uberius exponere nobis ad sequentem Philomathiae librum vel reservemus, vel integrum relinquamus.

II.

I I.

RAPPORT *du Jury institué par* S. M. L'EMPEREUR ET ROI, *pour le Jugement des Prix décennaux, en vertu des Décrets du* 24 *Fructidor an* 12, & 28 *Novembre* 1809, *à Paris, de l'Imprimerie Impériale* 1810. 4. *pagg.* 174.

i. e.

Relatio Consilii Judicum constituti ab Imperatoris Regisque Majestate tribuendis praemiis decennibus: caet.

Proximum est, ut de hoc libro dicamus; cum propter ejus & antecedentis libri cognationem; quippe complectitur totum *Institutum*, cujus ex quatuor Classibus tertia est *Historiae* & *Literaturae*, quae antea fuerat *Academia Inscriptionum & Humaniorum Literarum:* tum vero propter materiae copiam & ubertatem, quae non contenta breviore narratione, justae censurae non quidem officium, sed tamen modum amplitudinemque desiderat. Etenim referendi, non cen-

cenſendi, officio hic locus eſt: idque ipſum officium non niſi in Tertia Clasſe conſumemus, ut pertinente ad noſtram profesſionem; quamquam ne illius quidem Clasſis totius nobis cognitionem arrogamus. Caeteras Clasſes ſtrictim & verbo attingemus.

Eſt omnino celebranda Caeſaris illa conſtitutio ante hos decem annos facta, ad ingeniorum induſtriam fructuoſa, qua praemia, eaque duarum clasſium, ſeu duorum graduum, proponuntur in quodque decennium iis, qui vel in aliquo Doctrinae, Literarum, Artium ingenuarum utiliumque genere optimum librum edidisſent, vel praecipuum elegantioris alicujus artis opus effecisſent: vel ſcitum aliquod fabricae opificium ad neceſſitatem commoditatemve vitae comparatum, aut reperisſent, aut amplificasſent, & factitando comprobasſent. Itaque eſt hic latisſime patens campus: deſcriptus ſecundum *Inſtituti* in quatuor Clasſes, & cujusque earum in varias ſuas multiplicesque ſpecies ac partes, diſtributionem. Eſt vero etiam operae pretium cognoſcere ſententias Conſilii, in ratione habenda librorum operumve, iis rationum in utramque partem comparatione cenſendis, docte ſolerteque aeſtimandis, ad praemii adeptionem probandis vel improbandis, notandis vel honorifica mentione condecorandis, Conſtitutione de-

ni-

nique prudenter interpretandâ; ut facile appareat, judicandi munus & poteſtatem iis commiſſum fuiſſe, qui ejusdem facultate & ſcientia jam antea valuiſſent.

Nos, ut materiae tantam varietatem & multitudinem ad cognitionis brevitatem noſtrumque propoſitum revocemus, nec tamen majorem partem ſilentio praetermittamus, ex omnibus quidem deinceps Claſſibus capitum titulos apponemus, iis in Tertia ſaltem Claſſe aliquid plenioris notitiae addentes; uberiorem caeterorum deſcriptionem peritioribus relinquentes, ipſique nos noſtro modulo metientes.

CLASSIS

PHYSICA ET MATHEMATICA.

„ Magnum Praemium primi gradus, deſtinatum optimo operi de Geometria, vel Analyſi Pura."

„ Magnum Praemium primi gradus, auctori optimi operis in genere Scientiarum abſoluto calculo ſubjectarum, veluti Aſtronomia, Mechanica."

„ Magnum Praemium primi gradus, auctori optimi operis Phyſicae proprie ſic dictae, Chymiae, Foſſilium ſcientiae (Mineralogiae), caet."

Ma-

„ Magnum Praemium primi gradus, auctori optimi operis de Medicina, Anatomica, caet."

„ Magnum Praemium primi gradus, inventori machinae plurimum momenti allaturae Artificiis, & Opificiis manufactis, (Manufacturis)."

„ Magnum Praemium primi gradus, ei, qui rusticum opus fundumve fructuosissime ad agriculturam instituerit."

„ Magnum Praemium primi gradus, ei, qui officinam operis ad artificiorum industriam utilissimi instituerit."

„ Magnum Praemium secundi gradus, auctori operis quo principia physica, vel mathematica feliciffime ad rem factumque perducantur; i. e. ratio ad usum, theoria ad praxin, accommodetur."

„ Magnum Praemium secundi gradus, auctori operis topographici accuratissimi & optime effecti."

CLASSIS

LINGVAE ET LITERATVRAE FRANCICAE.

„ Magnum Praemium primi gradus, auctori optimi poëmatis epici."

„ Ma-

„ Magnum Praemium primi gradus, auctori optimae tragoediae, in magnis Franciae fcenis actae."

„ Magnum Praemium primi gradus, auctori optimae comoediae, quinque actibus circumfcriptae, in magnis Franciae fcenis actae."

„ Magnum Praemium primi gradus, fcriptori libri literarii, in quo conjuncta exftet plurima cogitationum novitas, cum maxima compofitionis facultate, & fumma ftili elegantia." Hujus tituli prudenti interpretatione facta, Judices praemium deferunt Sanctocrucii *Cenfurae Scriptorum de rebus Alexandri M.*

„ Magnum Praemium primi gradus, fcriptori optimi libri philofophi univerfe, five ad Moralem partem, five ad Educationem, fpectantis."

„ Magnum Praemium fecundi gradus, poëtae optimi carminis docentis (didactici), vel defcribentis, aut univerfe ftili fublimioris, pluribus libris comprehenfi."

„ Magna Praemia fecundi gradus, poëtis duorum minorum poëmatum, quorum argumenta ex Hiftoria Franciae fumta fint.

„ Magnum Praemium fecundi gradus, poëtae optimi poëmatis lyrici, muficis modis defcripti, & in magnis Franciae fcenis acti."

CLAS-

CLASSIS

HISTORIAE ET LITERATVRAE ANTIQVAE.

Venimus ad noſtram Clasſem, de qua ſola nobis & liquet, & quadam cum argumenti cognitione referre licet. In hac deinceps his titulis operibusque praemia propoſita ſunt.

„ Magnum Praemium primi gradus, optimo Hiſtoriae auctori, vel operis ex Hiſtoria, ſive antiqua, ſive hodierna."

Iudices exordium disceptationis ducunt ab interpretatione tituli, & recenſione variorum officiorum meritorumque muneris hiſtorici. Plus, inquiunt, laboris facultatisque poſtulat, generalem plurium populorum, quam unius populi, Hiſtoriam conſcribere: & plus item unius populi, quam unius alicujus temporis, belli, & facti peculiaris: & unumquodque horum generum ſuam etiam habet meritorum varietatem. Primum ſine dubio eſt officium veritas narrationis, nec tamen ea difficillimum. Multo enim difficilius eſt eventus ex ſuis cauſſis explicare, materiae partes ſuis temporibus, locis, mutationibus ita componere, ut quaſi dramatica ſcena appareat, in qua principes actores propriam ſibi perſonam, & quaſi vultus, habitus, ingenii, animique formam

mam servent, eique convenienter & agant & loquantur: color porro universae narrationis accommodetur ad naturam argumenti, ad varietatem temporum, fortunarum, conversionum. Haec est facultas, qua egregii auctores historiarum censentur, qua lectorum animos capiunt, eorumque alliciendorum retinendorumque vim argumento suo adjungunt; itaque fructum historiae ampliorem efficacioremque reddunt.

Sane, hanc nobis sententiam Iudices probant; cum eâ tamen exceptione, ut teneamus, saepe difficillimum esse rerum gestarum veritatem scire, non solum in argumentis nondum aliorum scriptione auctorum tractatis, sed in tritis adeo ac saepius repetitis; veluti in Historia adeo Vniversali, quae dicitur, in qua multi etiam nunc sunt loci nondum satis expliciti, nec ad liquidum perducti. Historicus autem si adfert simplicem, sed eam locupletem ac perspicuam, veritatis narrationem, ea nos quidem contenti sumus; nec desideramus caussarum explicationem, aut picturae dramatisve oblectamenta, nisi quatenus haec ex ipsa veritatis cognitione existunt. Quod si vero haec ipse addidit scriptor, diserte significet: certe ita scribat, ut appareat quid in ipsis factis et veritate insit, quid ipse de suo adjecerit: quam fidei sanctitatem in Antiquis, maxime Thucydide, Poly-

 bio,

bio, Plutarcho, Livio, Tacito, suspicimus. Nunc sunt, qui in historia scribenda nil nisi disserant ac ratiocinentur, & rerum gestarum ignorantiam philosophando dissimulent. Quin quotidiana in vitae consuetudine saepe nobis usu venit, ut quaerentibus ecquid publice novi acciderit, nil narrent, sed sua de rebus notis judicia expromant. Quibus merito reponamus: Da mihi res gestas & facta; ipse habeo judicium, quo ex his caussarum eventorumque cognitionem colligam.

Sed audiamus porro Iudicum orationem. Non facile, inquiunt, decennium fuit, quod plures bonos historicos libros ferret, quam hoc proximum: certe ad eum gradum bonos, ut eorum hac in disceptatione ratio haberi posset.

Primus in certamen hoc admittendus est *Rulhierius*, cujus *Historia Anarchiae Polonicae* habet argumentum novum nec dum tractatum, quod offerret locum notationi & characterismo illustrium magnorumque ingeniorum, & insignem commutationem potentiae mutuae & quasi aequilibritatis populorum Europaeorum. Actio ipsa & caussa rei continetur studio & conatu Libertatis patriae ad se tuendam adversus vim externam: quamquam is non est conatus totius patriae, sed Nobilitatis multae ac frequentis, animosae, sibique praesidentis, quae patriae immuni-

nitatem adversus exteros, Russos, defendens, simul sua sibi praecipua jura & praerogativa commoda tueretur. Habuit autem hujus Historiae conscriptio magnas difficultates, ab ea quidem parte, quae cernitur cognitione veri, & fide narrationis. Nam cum ejus argumentum esset recens & aequale temporum scriptoris, nec dum ab aliis tractatum: cumque Lodovicus XV, sive Francica Aula, Polonicam Nobilitatem tuendam suscepisset, & in Confoederationem Barensem conciliasset, ipsique Rulhierio hanc Historiam conscribendam mandasset, eique Acta Legationis Francicae, quae tunc in Polonia erat, & apparatum epistolarum impertivisset, ipseque cum emissariis Francicis in Polonia degentibus literarum commercium frequentaret; factum est, ut iisdem ex fontibus & rerum cognitionem colligeret, & partium studium praejudicatasque opiniones contraheret; ac videretur de Russis, eorum Augusta Catharina II, Poloniae Rege Stanislao Poniatowskio, praeter rem odiosa dixisse, confoederatos autem Barenses fortitudine & amore patriae veros heroas finxisse. Quae suspiciones quamquam auctoritati narrationis Rulhierianae aliquantum derogare videntur, tamen aliis laudibus meritisque diluuntur & compensantur. Ac primum quidem, Franciae partibus inserviens, meliori causae studuisse cen-

 sen-

fendus eft. Deinde, neque in ipfarum rerum factorumque narratione ita deflexit à veritate, ut eam penitus migraret aut perverteret, fed ut faltem in laudem fuorum, & reprehenfionem adverfariorum, paulo five proclivior five effufior esfet. Tum, ut avidus erat literatae gloriae, operam dedit ut hiftoriam conficeret, qua fibi apud literatos homines laudem pareret. Itaque apparet, eum fibi Thucydidis & Salluftii exemplum propofuisfe: illius, in concionibus & orationibus: hujus, in morum ingeniorumque notatione, qui & characterismi & effigies dicuntur: & funt ex illis duobus generibus fplendidisfimae hujus hiftoriae partes: quae, utut fcite pofitae & cum reliquo opere contextae, multoque judicio factae, tamen fubinde flumen & perpetuitatem narrationis turbant, nimiumque ftudium artis laboremque produnt. Omnino magna hoc opus compofitum eft arte: fed arte ejusmodi, quam non nifi lector in notandis fcriptionum generibus verfatus fentiat. Narratio fcite diftinguitur varietate formarum & motuum: incitatur ingeniofis animadverfionibus, characterismis fubtiliter efficaciterve defignatis: ftilus ubique conftat purus & caftigatus, fubinde nimia etiam cum cura: faepe fplendet, nonnumquam altius eloquentiusque quid fonat in orationibus, quibus praecipuos quosdam homines utentes

tes inducit. Ergo quamvis partium ſtudio occupatus: quod unum eſt gravisſimum hiſtorici vitium: quamvis errans, nec ſatis diligens quibusdam in factis prodendis, Rulhierius; tamen ejus Hiſtoria Anarchiae Polonicae, in optimis operibus hiſtoricis Francice ſcriptis numeranda eſt.

Hiſtoria Rerumpublicarum Italicarum medio Aevo, auctore Simondo Sismondi, digna videbatur Iudicibus, cujus rationem haberent, cum propter argumenti gravitatem, tum propter effectionis difficultatem, quae longam & laborioſam operam poſtulavit disquiſitionis; cujus materia cum ex Francicis libris peti non posſet, ex peregrinis petenda fuit. Neque enim *Generalis Hiſtoria Italiae* haec eſt, ſed Rerumpublicarum, quae in ea exſtiterunt inde ab interitu Romani Imperii Occidentalis a. 476, usque ad poſtremam converſionem Florentiae Mediceorum dominatui ſubjectae a. 1530. Quo in ſpatio fere 1100 annorum, multitudo ſimul & parvitas civitatum, nomina obſcura & oblivione obruta: frequentia commutationum brevi tempore ſibi ſuccedentium: factorum ſingularitas, nec cum antecedentibus nec ſequentibus ſatis aptorum: & omnino barbaries & obſcuritas illius aevi, officiunt perſpicuitati & ſuavitati; tamen auctor has difficultates ita ſuperavit, ut

operi plus luminis & ad tenendos lectores suavitatis addiderit, quam in tam ingrato argumento sperari poterat. Nam & narrationem sic ordinavit, non ut simplici eam factorum per temporis ordinem enumeratione contineret: sed ut ea sub unum saepe conspectum poneret, & quasi tabulam pictam exhiberet, in suas scite distributam partes, quae invicem sibi vim lucemque praeberent. Et subinde opportunas expromsit observationes, cum universales, tum politicas, quibus rerum narrationem locupletaret, seque veri rectique scientem & in Historiarum studio versatum ostenderet. Cumque operis hujus non omnes loci eadem cura tractati sint, aut cura non ubique eadem felicitate successerit; praecipue tamen hi loci excellunt: epitome regni Caroli Magni, lites Pontificum cum Imperatoribus, bella Guelphorum & Gibellinorum, tumultus Rerumpublicarum Pisae & Florentiae, forma & constitutio Reipublicae Venetae ejusque deinceps commutationes. Praeterea caput inscriptum *Considerationes de Saeculo* XIII reconditam multis partibus explicationem habet de Statu Nobilitatis, & quantum valeat jus proprietatis ad rationem formamque administrandae civitatis: de diversis classibus personarum, aliquid lucis adfert quaestioni huic saepius tractatae necdum satis explicitae. Locum porro de

de progresſu morum, doctrinarum, artium, auctor per reliquam narrationem diffundit; itaque ei propemodum addit ſpeciem diſputationis literariae, ſane à forma & proprietate Hiſtoriae abhorrentem. Stilus non habet certum characterem: univerſe tamen in eo eſt gravitas, vis, & vigor: ſubinde ſe attollit pro argumenti ratione: caret ſimul & aequabilitate, & rurſus varietate in tenore & formis: nec infrequens dictionibus inelegantibus & vocabulis à Francicae puritate linguae alienis. Ad has cauſſas quum illa etiam accedat, quod in certaminis decennio non niſi quatuor hujus operis volumina comparuerint, & finito jam decennio quatuor alia ſecuta in eodem, quo priora, cenſu habenda ſint; viſum eſt Iudicibus, hoc opus ad praemii adeptionem commendari non poſſe.

Prodiit etiam hoc decennio *Gaillardi* opus *de Rivalitate Franciae & Hiſpaniae:* qui dudum cognitus probata doctis hominibus *Hiſtoria Franciſci* I, & alia probatiore *de Rivalitate Franciae & Angliae*, nunc octogenarius & infirmus, imminuta aliquantum ingenii vi & facultate, argumentum non eo vigore tractavit, quem deſignatio operis, quam ſibi ipſe propoſuerat, poſtulabat. Quamquam ipſa narratio ſatis viget & à languore abeſt, ſtilus tamen ſaepe caret certo colore, brevitate, varietate.

 Et

operi plus luminis & ad tenendos lectores suavitatis addiderit, quam in tam ingrato argumento sperari poterat. Nam & narrationem sic ordinavit, non ut simplici eam factorum per temporis ordinem enumeratione contineret: sed ut ea sub unum saepe conspectum poneret, & quasi tabulam pictam exhiberet, in suas scite distributam partes, quae invicem sibi vim lucemque praeberent. Et subinde opportunas expromsit observationes, cum universales, tum politicas, quibus rerum narrationem locupletaret, seque veri rectique scientem & in Historiarum studio versatum ostenderet. Cumque operis hujus non omnes loci eadem cura tractati sint, aut cura non ubique eadem felicitate successerit; praecipue tamen hi loci excellunt: epitome regni Caroli Magni, lites Pontificum cum Imperatoribus, bella Guelphorum & Gibellinorum, tumultus Rerumpublicarum Pisae & Florentiae, forma & constitutio Reipublicae Venetae ejusque deinceps commutationes. Praeterea caput inscriptum: *Considerationes de Saeculo* XIII reconditam multis partibus explicationem habet de Statu Nobilitatis, & quantum valeat jus proprietatis ad rationem formamque administrandae civitatis: de diversis classibus personarum, aliquid lucis adfert quaestioni huic saepius tractatae necdum satis explicitae. Locum porro

de

de progresſu morum, doctrinarum, artium, auctor per reliquam narrationem diffundit; itaque ei propemodum addit ſpeciem disputationis literariae, ſane à forma & proprietate Hiſtoriae abhorrentem. Stilus non habet certum characterem: univerſe tamen in eo eſt gravitas, vis, & vigor: ſubinde ſe attollit pro argumenti ratione: caret ſimul & aequabilitate, & rurſus varietate in tenore & formis: nec infrequens dictionibus inelegantibus & vocabulis à Francicae puritate linguae alienis. Ad has cauſſas quum illa etiam accedat, quod in certaminis decennio non niſi quatuor hujus operis volumina comparuerint, & finito jam decennio quatuor alia ſecuta in eodem, quo priora, cenſu habenda ſint; viſum eſt Iudicibus, hoc opus ad praemii adeptionem commendari non poſſe.

Prodiit etiam hoc decennio *Gaillardi* opus *de Rivalitate Franciae & Hiſpaniae:* qui dudum cognitus probata doctis hominibus *Hiſtoria Franciſci* I, & alia probatiore *de Rivalitate Franciae & Angliae*, nunc octogenarius & infirmus, imminuta aliquantum ingenii vi & facultate, argumentum non eo vigore tractavit, quem deſignatio operis, quam ſibi ipſe propoſuerat, poſtulabat. Quamquam ipſa narratio ſatis viget & à languore abeſt, ſtilus tamen ſaepe caret certo colore, brevitate, varietate.

 Et

Et vel sic apparet indoles & pristinum judicium auctoris in egregia praefatione hujus historiae, & in ipsa tractatione, ubi rerum Hispanicarum complures locos cognitu necessarios illustrat: veluti in Descriptione dynastiarum Andegavensis (d'Anjou) & Arragonicae; & in effigie hominis *tam heroici tamque historici*, sic enim loquuntur Iudices, Caroli Andegavensis, fratris Ludovici IX. Ergo, quamquam propter stili & compositionis tenuitatem hoc opus in praemii judicium admitti nequit; tamen Iudices ita pronunciant, illud adhuc ab hominibus literatis non tanto studio exceptum celebratumque esse, quantum merebatur & argumenti gravitas, inquirendi diligentia, & fides narrationis, verus denique veritatis humanitatisque amor, qui ubique apparet.

Et *Lacretellius Iunior* (Lacretelle le jeune) memoratur, scriptor *Historiae Franciae Saeculo* XVIII, cujus hoc decennio edita sunt duo volumina, quibus prior dimidia pars illius Saeculi continetur. Exstat sane in iis locuples recensio rerum publice à Francia gestarum ad eamque pertinentium: estque in rebus factisque referendis accurata diligentia, narrationis celeritas ac perspicuitas, stilus universe facilis & castigatus, quod valeat ad lectorem non modo docendum, sed & delectandum & retinendum.

Ve-

Verum enim hae dotes ſic adſunt, ut aliarum dotium abſentiâ obſcurentur. In materia quidem colligenda non habuit quod multum laboris poneret: quippe pervulgatâ, & ex fontibus nemini ignotis hauriendâ: ſed in referendis factis raro aequavit auctores ſibi ad imitandum propoſitos: neque Sanctoſimonis (Saint-Simon) efficacitatem ac proprietatem, neque Voltarii nativam acutamque elegantiam, neque firmitatem praeciſumque tenorem Duclôſii asſecutus eſt. Porro in locis adhuc dubiis & controverſae fidei, nil operae vero quaerendo inſumſit: eſt etiam ubi alios minus accurate retulit & partem criticam ac politicam, id eſt, judicium veri & obſervationem conſiliorum, parum attigit. In deſignandis praecipuarum characteriſmis perſonarum, lineamentum proprietatis animi morumque nullum apparet: contra etiam unum alterumque, de quo dubitari posſit. Neque animadverſio exſtat vel ad cauſſas magnorum eventuum, vel ad commutationem morum & publicum ſaeculi genium: immo ab hujus quibusdam erroribus ſibi ſcriptor non ſatis ipſe cavit. Narratio quidem eſt celeris & concitata, nec tamen ipſa per ſe ſuoque motu & inceſſu, ſed cumulandis factis ſine nexu deinceps poſitis: & eſt fere mera narratio carens pingendi artificio: ejusque brevitas maxime venit à praetermisſione rerum cum

factis conjunctarum ad horum intelligentiam necessariarum, quae circumstantiae nomine appellantur: quarum opportuna & cum delectu facta adjunctio plurimum valet, ut in poësi, sic in historia ad lectorem auferendum ac tenendum. Nimis porro consectatur acute festiveque dictorum factorumve fabellas, vulgo *anecdota* dictas: quod genus & saepe suspectum est incertae fidei; nec historiae gravitati convenit, etiam si verum sit. Ejusmodi sunt quas memorat de Duce Novilliaco (de Noailles) illo, qui sub Philippo Aurelianensi, tutore Ludovici XV pueri, vectigalia regni administravit, probatus imperator, prudens magistratus, bonus civis: cujus tota vita refellit sparsas istas de ipso calumnias; quas scriptor hujus libri nullo satis severo exploratas judicio, repetere non dubitavit. Stilus denique non ubique apparet is, qui maxime historico generi conveniat; siquidem dictiones habet multas nimis quaesitas, nec satis definitas & elegantes: quo item pertinet aridum & concisum multis locis narrationis genus.

Locus unus è primis in hoc judicio tribuitur Segurii (*M. de Ségur*) *Historiae rerum quae acciderunt regnante Borussiae Rege Frederico Guilielmo* (II.). Quum ipsius ingenium & facta Regis obscurarentur aliorum splendore principum hominum, & proximi decessoris magni-

gnitudine Frederici II, & aequalis Catharinae II, nec satis amplam praeberent historiae materiam, intelligens scriptor eam scienter amplificavit, adjungens narrationem status publici Europae, qui fuit tempore illius Regis, id est ab anno 1786 ad 1796 (immo 1797): in primis tumultuum conversionumque civilium, Batavae Reipublicae, Belgii Austriaci, Poloniae, maximeque Franciae, cujus progressus vicinos plerosque concussit: quibus in motibus vel sedandis vel incitandis, partes hujus Regis praecipuae fuerunt. Et quum ipse scriptor in publicis negotiis versatus, & munere Legati Aulae Francicae apud Aulam Russicam Catharinae II functus sit, igitur res hominesque principes, de quibus scripsit, ipse fere coram ac praesens viderit & cognoverit; magnum profecto inde momentum fidei auctoritatique ejus accessisse censendum est. Narratio habet concinnitatem, celeritatem, vigorem: oratio, facilitatem, elegantiam, subinde ornatum; nec tamen ubique aequabilitatem: caret autem varietate formarum & nonnumquam gravitate: nec ea, quae dicitur, unitas, apparet, id est, partium compositio ad unius totius operis absolutionem; siquidem ipsae partes nec justam invicem habent proportionem, & pleraeque magis adumbratae quam perscriptae videntur. Neque huic Historiae officio studuit

scri-

fcriptor, ut infignium rerum actiones quafi dramatis fcenas conformaret, in quibus caussarum eventuumque nexus eo magis cognofceretur. Differtius etiam fignificanda erat potentiae Borussicae magis magisque decrefcentis ad cafum inclinatio: & animadvertendum, quantum unius hominis principatus & indoles ad totius populi, in utramque partem, fortem fortunamque valere poffit. Quod autem faciendum fibi putavit, ut Francici regni conversionem, partibus ejus fingulatim perfequendis, causfis, factionibus, confpirationibus, unde ipfa exftitit, & bellis foederibusque inde ortis referendis, civilem fane animum prudentiamque oftendit: fed argumentum fufcepit recentius quam pro accurata caussarum cognitione: tum vero, neceffitudinibus implicitus complurium perfonarum, quas agentes loquentesque inducere voluit, compluribus generibus magis parcendum esfe cenfuit, quam fevera hiftoriae integritas ferret; ut credibile fit pofteritatem, certiora aliquando edoctam, in fcriptoris judiciis aliquantum defideraturam correcturamque esfe.

Sequitur *Hiftoria generalis & ratiocinativa Diplomatiae Francicae, auctore Flasfano:* cujus Francicus titulus praefcribitur, *Hiftoire générale & raifonnée de la Diplomatie Françaife:* in quo ad verbum Latine reddendo, velimus nobis obtingant

aequi intelligentesque lectores, nec omnia ad unguem facta postulantes. Nam *ratiocinativus*, quamquam & Latinum est, & Francico nomini respondet, tamen fortasse quibusdam novum videatur. *Diploma* autem est illud quidem Graece & Latine mandatum seu edictum Principis, per quod alicui aliquid beneficii defertur: nec tamen eodem, quo hodie, sensu, neque omnino *Diplomatia* aut *Diplomaticus*, dicitur. Quae omnia hodierno usu secus sunt: in quo late patet horum nominum significatio, quam nunc apponere nil attinet; quum satis sit eam ejus partem animadvertisse, quae in hoc libro valet, cujus titulum sic interpretamur, ut sit, *Historia generalis foederum, pacificationum, pactorum, conventorum, omnino actionum publicarum, quae Franciae cum aliis populis intercesserunt: & ejusmodi quidem Historia, quae non contineatur nudâ foederum caet. illarumque rerum enumeratione, sed conjuncta sit cum notatione caussarum, temporum, rationum, hominumque in his actionibus versatorum.* Ergo magnum amplumque est hujus operis argumentum, & totam fere Franciae Historiam complectitur, quatenus quidem illa pertinet ad pacta, foedera, alias illius cum aliis populis publice habitas actiones: & est idem magni momenti, magnaeque utilitatis: atque à scriptore ita tractatum, ut nec labori di-

li-

ligentiaeque parceret in rerum investigatione, & artem quoque adhiberet, qua materiae ejusdem & unius formae continuam iterationem, quam dicunt uniformitatem, qua profecto laborat ejusmodi enumeratio pactorum, eorumque partium, capitum, legum, conditionum, exceptionum: hujus igitur iterationis taedium temperaret, designandis characterismis & explicandis consiliis principum, eorumque administrorum ad illa negotia conficienda adhibitorum. Qui locus quamquam in nulla bene scripta Franciae Historia vacat, in quibus fere tantum ex illa Diplomatia affertur, quantum vulgo lectorum ad Historiam intelligendam opus est: Flassani quidem opera ejusmodi vim praestantiamque habet, quae de Historia Francica scripturis multum subsidii luminisque praebitura sit. Caeterum, docendo & accuratae cognitionis fructui satisfecisse contentus, artem compositionis ac stili elegantiam non item spectavit.

Tandem producitur *Levesquii Historia Critica Reipublicae Romanae.* Huic duo sunt proposita: alterum, novis observatis confirmare dubitationes & quaestiones dudum agitatas de auctoritate & fide Historiae primorum Reipublicae saeculorum: alterum, refellere nimiam admirationem, qua recentiores homines facta virtutesque Romanorum prosecuti sunt, quippe periculosam

&

& adverſariam, cum rectae morum rationi, tum civili prudentiae. Itaque priore in loco oſtendere ſtudet, ante Punica, aut certe Pyrrhi, bella nullam Hiſtoriae Romanae partem memoriae proditam exſtitisſe, niſi Inſcriptiones ſingularium & quaſi ſolitariorum quorumdam factorum ab omni conjunctarum rerum ſocietate & circumſtantia ſeparatas: in poſteriore autem loco judicat vel de factorum veritate ac fide, vel de hominum laudibus ac vitiis; ut adeo locus uterque magis disceptatione, quam ea narratione contineatur, quae ab opere in Hiſtorici praemii certamen admittendo poſtulatur: ipſumque hoc opus magis commentarius de Hiſtoria, quam Hiſtoria, cenſendum ſit.

De his in certamen commisſis libris Judices hanc ſententiam concludunt, ut Rulhierium, ſcriptorem *Hiſtoriae de Anarchia Poloniae*, praemio, Sismondium, Segurium, Lacretellum, honorifica mentione dignos cenſeant.

„ Magnum Praemium ſecundi gradus, ei, qui Graecum aut Latinum poëma optime verſibus reddiderit."

Si quis invaleſcentem ſaeculi temeritatem in Francicae Literaturae ſtudiis attente obſervet, causſasqne exploret quibus factum ſit ut & ſcriptores & lectores, à veri pulcrique judicio aberrent; nil magis opus esſe videatur, quam con-

contagioni latius serpenti sic occurrere, ut validissimis remediis reprimatur: nec validius efficaciusque remedium inveniatur, quam ingenia isto morbo infecta ad antiquorum sanitatem veritatemque exemplorum convertere, iisque classica opera Francice reddita imitanda proponere. Quamquam illud vertendi studium inde fere à quinquaginta annis adeo non defuit Francicis poëtis; ut hujus quidem generis proventu hoc postremum temporis spatium etiam feracissimam ingeniornm aetatem superet.

Nam posteaquam studii hujus quasi signum sustulisset *Delillius*, vertendis Georgicis Virgilianis, certatim alii eamdem viam ingressi sunt. *Sanctangelus* (de Saint-Ange) Ovidianas Metamorphoses vertit: labor immensus, sed inaequabili nimis partium expolitione, cujus vitia reliquarum copia elegantiarum obteguntur. *Daruus* (Daru) omnia Horatii poëmata reddidit tanta ingenii facultate, quantam agnoscere & aestimare nequeant, nisi qui ipsi de doctrina ac ingeniis subtili judicio valeant. Et *Gastonus*, (Gaston) Virgilianam suam Aeneidem peritis probavit, & magis etiam probasset, nisi in eodem opere nimis valentem habuisset aemulum *Delillium*. Quatuor eodem fere tempore Virgilianas Eclogas reddiderunt poëtae. *Didotus*, *Tissotus*, *Langeacus*, *Millevoyeus*, (Didot, Tis-

Tisfot, de Langeac, & Millevoye). Duo Ilia- dem verterunt: *Cabanifius*, (Cabanis) qui fcriptam reliquit: *Aignanus*; (Aignan) fuam edidit; dignus qui ingenii ftudiique causfa lau- detur, & admoneatur, ut iterato labore opus fuum perpoliat. Denique *Mollevautus* (Mol- levaut) Tibulli poëmata à fe reddita emifit.

Quandoquidem vero huic certamini propofitum erat praemium fecundi gradus, judices verba Conftitutionis ita interpretantur, ut ab hac parte certaminis fegregent Epica Carmina; quippe majoris operae ac laboris advertendum, ac proinde primi gradus praemiis dignanda. Cae- terum, propofitum in hoc Conftitutionis titulo praemium fecundi gradus tribuunt Tisfoto, alte- ram jam fui operis editionem paranti, & Theo- criti deinceps Idyllia vertere inftituenti; pruden- ter & hunc & caeteros antagoniftas de fui quem- que operis bene & fecus factis admonentes.

„ Magnum Praemium fecundi gradus, auctori optimi operis in genere fcriptionis Vitarum, Biographiae vulgo dictae."

In hoc genere quum plura per hoc decennium fcripta prodierint, nullum ne mentione quidem dignum judicatur, nifi unum, idemque non folum ex hoc decennio, fed ex omni omnino Literaturae Francicae aetate princeps ac praecipuum cen- fetur, *Vita Fenelonii*, *auctore Beausfetio*, (de

Beausſet). Nam & Fenelonii perſona magnum, & ad alliciendum retinendumque lectorem, praebebat jucundum argumentum, propter egregias multiplicesque ingenii, animi, morumque virtutes, quae in hoc viro conjunctae exſtiterunt, & adhuc civium exterorumque, humaniorum quidem, cognitione celebrantur. Et ſcriptor attulit cum materiae copiam, non ſolum vulgatae, ſed novae quoque è ſcriptis necdum editis chartis depromtae; unde aliquot vitae Fenelonianae loci nova luce illuſtrantur: tum rationem ac judicium, ut ſuo quidque loco poneret, res è cauſſis ſuis explicaret: tum vero orationis genus minime vulgare, ſed hiſtoriae gravitati conveniens, ex quo generoſus animus & excelſus, veritatis virtutisque amans, ubique eluceat: narrationis perſpicuitatem, invitamentum, candorem, frequentiam animadverſionum minime quaeſitarum & ambitioſarum, ſed ad res actionesque illuminandas accommodatarum. Jam quod quidam in ſcriptore reprehendunt, eum nimis graviter & copioſe tractasſe lites Eccleſiaſticas, quibus Fenelonius implicitus fuit; quippe quarum nemo prudens hodieque rationem habeat: temere faciunt, ex noſtro ſaeculo judicantes illius ſaeculum, quo illae controverſiae magnam vim auctoritatemque habuerunt, magnamque partem vitae rerumque Fenelonii obtinuerunt; ut eas memorare,

re, scriptoris esset officium: cui hoc etiam in laude numerandum est, quod hoc in argumento longioris taedium narrationis aliarum rerum memorabilium mentione jucunda temperavit. Sunt tamen quae desiderari etiam possint in hoc scriptore. Primum, in gravitate ac dignitate orationis requiratur aliquando plus illa moribus ingenioque Fenelonii congrua efficaciae dulcedo & lenitas: narrationi universe deest celeritas: in factis declarandis subinde magis Episcopum ae Theologum, quam sincerum Historicum agit: quibusdam etiam locis sententias prodit, quas prudens, cum philosophia, tum civilis ratio, merito repudiet. Attamen ista desideratarum laudum absentia, adeo compensatur & quasi obruitur earum, quae adsunt, copiâ & praestantiâ; ut Consilium non dubitet, scriptorem praemio dignum judicare.

„ Magnum Praemium secundi gradus, interpretibus, qui ex lingua Orientali, vel Antiquâ, quatuor converterint opera, vel jam edita, vel adhuc in scriptis codicibus servata, utilissima sive *Doctrinis* nomine *Scientiarum* appellatis, sive *Historiae*, sive *Humanioribus Literis*, sive *Artibus.*"

Judices primum ex linguis Orientalibus conversos libros censent, de eorumque utilitate & ratione, cum universe, tum peculiariter, doctam

prudentemque disputationem expromunt. Librorum hi tituli sunt: *Ebn-Iounis Observationes Astronomicae*, *interprete Causfino* (Causfin): *Aboul-Hassan de initiis & finibus*, *interprete Sedilloto* (Sédillot): qui sunt ex genere *Scientiarum*, & in primis diligenter scienterque aestimantur. Ex Historico genere memorantur, *Oupneck' hat*, è Persico sermone versus ab *Anquetillo Perrono*; cujus laudibus officit stili barbaries. Illustri in loco numerantur *Historia Arabum in Siciliâ*, *ex Aboulfeda à Causfino excerpta*: item, *Mirkhondi Historia Sassanidarum*, *Commentarii de monetis Musulmanicis*, *& de ponderibus ac mensuris*, *interprete Silvestro Sacyo*. Syllogae Notitiarum de Codicibus scriptis, quam supra p. 79, diximus, *Excerpta & Summaria*, mixtas habet partes operum historicorum in hunc censum producendas: *Historiam expeditionis, quâ Turci Arabiam Felicem ceperunt*, *versam à Silvestro Sacyo*: *tum à Langlesio* (Langlès) redditos libros; *Magrizi Descriptionem Fossae Suezensis*, *è Sinu Arabico in Nilum ductae*: *Fragmenta Codicis Dienguyzkani*, *excerpta ex Mirkhondo*: *Mores ac Ritus instituti sacrificiis ac donariis Mantchouensium*, *jussu Imperatoris Kienlongi*, ex Mantchouensi lingua versos. *Tabula chronologica incrementorum Nili ab anno 23 Hegyrae us-*

usque ad . . excerpta ex Cosmographia, Mohammedis Ben Ayâs. Porro ex genere Literaturae sunt: *Supplementum operis, Mille & Vna Noctes, dicti, ex Arabica lingua versum à Caussino:* & *Diamyi* (Djamy) *Persicum poëma, inscriptum Medinoun & Leïla, Francice redditum à Chezyo* (M. de Chezy), *primo Amanuensi Bibliothecae nunc Caesareae codicum scriptorum:* quo in opere & poëmatis momentum ad cognitionem Persicae poëseos, & interpretis facultas & elegantia praedicatur. Tandem *Silvestri Sacyi Chrestomathia Arabica*, recte vereque laudatur, ut opus his Literis proferendis utilissimum, cum delectu locorum, tum eorum emendandorum interpretandorumque diligentia in omni genere, historico, critico, grammatico. Haec de argumento Orientali; in quo referendo eo breviores fuimus, quo id minus est nostrae cognitionis; unde factum, ut in nominibus reddendis simpliciter propositi libri auctoritatem sequeremur.

Libros autem Graecos & Latinos excludunt Iudices, illos, quos non tam illa in hoc Titulo praescripta utilitas, quam delectatio, commendat. Quo in delectu, quamquam difficile est utilitatem à delectatione suis finibus distinguere, tamen judices caute ac diligenter versan ur: certe merito excludunt Poëmata;

 quip-

quippe quibus superiore Titulo locus certaminis datus erat. Deinceps opera in hoc genere breviter recensentur. *Thucydides* bis Francice redditus: primum à *Levesquio:* deinde à *Gailio:* quorum uterque quum sit in Judicum numero, neutrius ratio haberi potuit. *Apollodorus Claverii* recte laudatur propter doctas de Mythologia & Historia annotationes: quod autem additur ipsum per se opus parum habere ponderis, non satis capimus. Et *Gailii* studio in *Xenophontis Cynegetico*, & *Milloni* in *Aristotelis Politica* suum utrique pretium statuitur. Majoris est momenti opera *Corayi* in *Hippocratis* libro de *Aëribus*, *Locis*, *Aquis*, Graeca oratione diligenter emendata & explicita, Francice reddita, doctrina erudite illustrata. *Strabonis Geographiam*, emendare, vertere, explicare, tribus doctissimis viris, de quibus supra diximus, publico consilio mandatum: cujus operis, inde ab anno 1805, duo volumina prodierunt; quod si totum hoc decennio absolutum fuisset, sane unum ex propositis praemiis laturum erat. Porro *Archimedis Opera* sic vertit *Peyrardus*, ut praemii conditionibus satisfecerit: adjutus copiis novissimae editionis Josephi Torelli Veronensis factae Oxonii a. 1792. Idem *Peyrardus* hanc vertendi operam navavit *Euclidi*, eamque postea iteravit, additis correctionibus Graeci con-

contextus ex codicibus ſcriptis Bibliothecae Caeſareae: Difficilius etiam opus confecit *Halma*, vertenda *Ptolemaei Magna Compoſitione Aſtronomiae*: cui item *Theonis Commentarium* addere conſtituit: ſed opus nondum editum ad hoc decennium admitti non potuit. Denique ex Latinis Francice reddita non niſi duo ſe obtulerunt: *Gueroultii Selecta Loca ex Plinii Hiſtoria Naturali*: tum quoque *Bineti Virgilius*: laudanda quidem illa, nec tamen ſatis locupletia, quorum in certamine ratio haberetur.

Itaque ſingulis de ſingulorum operum laude ſententiis inter ſe comparatis, Iudices cenſuerunt, quatuor praemia asſignanda esſe quatuor his viris: *Corayo* interpreti Hippocratici libri: *Sedilloto* Aboul-Hasſani: *Chezyo*, Perſici Poëmatis: *Silveſtro Sacyo*, Chreſtomathiae Arabicae: honorifica porro mentione memorandos *Causſinum*, *Langleſium*, *Peyrardum*, & *Strabonis interpretes*. Hoc autem in cenſu quare Larcheri Herodotus, iterum auctior editus a. 1802, ſilentio praetermisſus ſit, non intelligimus.

Haec omnino ſtudia & conſilia ut Literis fructuoſa eveniant, valde optamus: idque multo etiam magis, propter noſtram cum Gallia neceſſitudinem, cum novisſimam civilem, tum ve-

veterem literatam; siquidem Gallus fuit, & è Gallia rectam elegantemque Antiquarum Literarum rationem attulit, & in hac Lugduno-Batava Schola fundavit, Josephus Scaliger: unde eadem ratio in caeteras Scholas Batavas, & exteras adeo, manavit, & ad hunc diem propagata est. Erat illa Scaligeri aetas pars Aurei harum Literarum Saeculi in Gallia: quo eas ex Italia arcessiverat Rex Franciscus I, multisque scholis & doctorum honoribus salariisque frequentaverat; quum nulla dum esset Academia Inscriptionum; quae his demum studiis decrescentibus instituta est. Ad quam institutam inde ab illius Regis aetate, per centum & quinquaginta fere annos, Gallia in his Literis dominata est, principesque earum tulit viros, Budaeum, Baysium, Stephanos, Strebaeum, Vinetum, Brodaeum, Turnebum, Bosium, Brisfonium, Cujacium, Scaligerum, Muretum, Lambinum, Pithoeos, Guellium, Passeratium, Mercerum, Thuanum, Casaubonum, Rigaltium, Salmasium, Petavium, Bachetum, Sirmondum, Gassendum, Bochartum, Abramium, Valesium, Gujetum, Menagium, Bullialdum, & innumerabiles alios: quorum vel nuda nomina aliquot paginas expleant, & modus scientiae cum Literarum tum aliarum Doctri-

ctrinarum, cum hodiernis hominibus comparatus, in prima classi censeatur. Et, qui ex ipsis in hoc genere principibus omnium consensu principatum obtinuisse & adhuc obtinere celebrantur, tres fuerunt Franci, Scaliger, Casaubonus, Salmasius. Etenim haec Literarum scientia unice ex Veterum lectione monumentorum exsistit: ad quam nisi mature instituantur adolescentes, atque ita exerceantur, ut Graecos Latinosque Scriptores tam facile intelligant, quam libros patrio sermone scriptos; postea adulti aut aetate aliquanto provectiores, si forte cupiditas eos ceperit cognoscendorum Veterum, difficultate intelligendi ab eorum lectione absterriti, ad eorum simulacra hodiernis linguis reddita confugiunt: aut ex istis simulacris si, quod fieri nonnunquam solet, amorem concipientes Auctorum, studioque incensi eos ipsorum oratione Graeca vel Latina loquentes audiendi; tunc vero seri ac duri ad grammaticam rationem, ejus expertes frustra nituntur, nec umquam ex tali lectione nativam propriamque antiquitatis indolem, nec ejus intelligentiae sinceram veritatem voluptatemque percipiunt. Contra, ex illis juvenili disciplina probe exercitatis adolescentibus exsistunt viri vere eruditi, omnem Veterem lectionem facile complectentes, ex fontibus hau-

rientes, non rivulos consectantes: certe tales, qui metaphrases ac versiones ipsi non desiderent: sed, si quando, desideratas ab imperitioribus multo accuratiores certioresque conficere possint, quam vulgares plerumque interioris linguarum rationis parum periti interpretes, opus temere ac subito suscipientes. Atque ad illum pristinum Literarum florem in Gallia instaurandum pertinuit nuper, & adhuc pertinet, Villoisoni, Sanctocrucii, Larcheri aliorumque exemplum: quod ab exoptata diu publica temporum felicitate prosperatum adjutumque iri speramus.

CLASSIS

ARTIVM PVLCRARVM.

Superest Classis postrema, cujus tituli hodie pervulgatum nomen simpliciter reddidimus, significans eas Artes, quibus proposita est effectio corporei operis pulcri, certe, quod pulcritudine censeatur: Quarum, quibus hoc loco praemia proponuntur, sunt Musica, Pictura, Sculptura, Architectura.

„ Magnum Praemium primi gradus, Musico, qui aptissimos modos cantumque composuerit

Dia-

Dramati Lyrico (Opera), acto in Academiae Caesareae theatro Musices."

„ Magnum Praemium primi gradus, Pictori optimae tabulae argumenti historici."

„ Magnum Praemium primi gradus, Pictori optimae tabulae, cujus argumentum significationem habeat honorificam animi morisque Francorum proprii (un sujet honorable pour le caractère national.)"

„ Magnum Praemium primi gradus, optimo Sculpturae operi (i. e. Statuariae aut Toreutices) argumenti heroici."

„ Magnum Praemium primi gradus, optimo Sculpturae operi, argumenti ex factis memorabilibus Historiae Franciçae sumti."

„ Magnum Praemium primi gradus, artifici pulcerrimi architecturae monumenti.

„ Magnum Praemium secundi gradus, Musico, qui modos cantumque aptissimos composuerit Dramati Lyrico-Comico (Opéra Comique), acto in magna aliqua Francica scena."

„ Magna Praemia tria secundi gradus, artificibus trium optimorum operum, Picturae Chalcographicae (Gravure en taille-douce), Designationis Numismatum, Sculpturae Gemmarum."

Atque hujus quoque Classis, ut primae & secundae, argumenta non nisi referendis Capitum titulis significare potuimus. Quorum quum sit eadem copia quae tertiae Classis, quam unam fusius recensuimus; quanta sit totius hujus agonothesiae materia & amplitudo, profecto intelligi potest.

D. W.

D. W.

PROTREPTICVS

DICTVS

D. XVIII SEPTEMBR. A. MDCCCX,

INSTAVRANDIS SCHOLIS,

ET, DISCIPVLIS AD LITERARVM

STVDIA CONFIRMANDIS.

Q. B. F. F. Q. S.

Est hic nobis, Auditores Ornatissimi, quotannis usurpatus mos majorum, ut in principio scholarum post exactas ferias instaurandarum Deo O. M. gratias agamus, quod nobis sanis ac valentibus reditum ad haec studia celebranda concesserit. Quam gratiarum actionem si umquam juste debiteque exsolvi, certe nunc pie religioseque exsolvere debeo. Meministis enim, A. A. O. O., qui quidem tunc adfuistis, me sub finem superiorum scholarum, exeunte proximo mense Junio, vobis valedicentem optasse, atque adeo ab immortali Deo precatum esse, ut nobis rursus, finitis feriis, hanc bonarum Literarum institutionem repetere liceret, integra valetudine, integris rebus nostris, salva Academia, salva patriâ. Jam convenimus ad hanc Literarum institutionem repetendam, integra quidem, ut videmur, valetudine: rebus autem integris, salva Academia, salva patria, affirmare non item possumus. Et arguit discipulorum paucitas, parentum angustiis discessum veteranorum multo frequentiorem accidisse quam adventum novitiorum. Quid enim interea evenerit, nemo nescit: fortunas plurimorum af-

fli-

flictas: Academiae dubiam sortem: patriam Francico provinciam Imperio adjectam. Atque hoc non eo valere debet, ut putemus nullam nos amplius patriam habere, nullam nobis ejus jam rationem ducendam esse, nullam porro caussam exstare, quare Literis studere operae pretium sit. Qui error multorum animos occupavit: perniciosus sane, & diligenter confutandus cum à caeteris doctoribus, tum à me: qui, & antea vos ad Literarum studia excitans, haud postremum argumentum à patriae caritate repetere solebam. Et recordamini profectò, Auditores veterani, me subinde vos hujusmodi fere oratione ad optimarum artium disciplinam cohortatum esse.

Vnicuique, inquam, homini, in hac vitâ, tamquam in civitate, à summo ejus civitatis principe & rectore Deo sua persona officiaque imposita sunt. Et, ut ex meis vestrisque officiis nunc unum, quod ad rem praesentem attinet, memorem; meum est *docere*, vestrum *discere*. Hoc autem, quod *discere* vocamus, quid est, quodnam propositum habet? Scilicet, ut mentem rerum praestantissimarum cognitione repleamus, ingenium ad veri perspicientiam acuamus, animum ad omnis virtutis honestatisque amorem formemus, ad omnemque vitae actionem instruamus; ut & nobis ipsis, & nostris, &

& caeteris civibus totique patriae, & reliquis hominibus, quoad ejus fieri poteſt, utilitati, emolumento, & ſaluti, esſe posſimus. Videtis hanc discendi legem ab ipſa natura proficiſci, eamdemque continere tria illa officiorum genera, erga Deum, erga nos, erga alios: continere item horum officiorum effectricem virtutem, quatuor harum partium deſcriptione ab Antiquis celebratam, prudentia, fortitudine, temperantia, juſtitia: quarum adeptione ſummum bonum & vita beata cenſetur.

Haec & alia his conſentanea vobis antea proponere ſolebam. Nunc in praeſentem veniamus quaeſtionem, an patriam amiſerimus, &, ſimul cum ejus amisſione, à discendi officio ac necesſitate ſoluti ſimus. Quod ſi igitur illis concedamus, qui putant nos nullam amplius patriam habere: quorum falſam eſſe opinionem, & ſupra monuimus; & poſtea magis intelligemus; ſed, ut illis concedamus hoc, quomodo tandem oſtendent, huic esſe conſequens, ut à discendi officio ac necesſitate ſoluti ſimus? Nonne in illa tripertita officiorum diſtributione, ut ſint erga Deum, erga nos, erga alios, patria profecto eſt in tertio genere, quod eſt erga alios: ejusque, magnam quidem, ſed tamen non niſi partem obtinet. Noſtis profecto Ciceronis egregiam illam: quamquam quid Ciceronis non eſt

egregium? nostis igitur explicationem graduum progresſuumque humanae societatis à Cicerone, Officiorum I, 17, proditam: ubi consignata etiam est illa quasi divinitus emisſa vox: *Sed cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Sane! *Si ei sit profuturus*, dulce & decorum est pro patria mori: sed si morte nil profuturus sit, dulce & decorum est pro patria vivere. Et quum patria sit pars tertii generis, quo continentur *alii* omnes homines praeter nos ipsos; fac patriam aut exstinctam aut amisſam esse, remanent, omnino parentes, nati, fratres, cognati, affines, familiares, amici, cives, propinqui, exteri, totum denique genus humanum, quod communi nobiscum naturae & humanitatis vinculo consociatum est. Atque his omnibus prodesſe, & proximum quemque maxime juvare ac tueri debemus: neque id nisi discendis bonis artibus consequi posſumus. Fac tandem esſe, qui ab omni humano consortio segregatus in deserta insula vivat, is tamen hoc ipse erga se officio tenebitur, ut rerum utilium cogni-

cognitione se instruat, qua se servet ac sustentet; ut in illa solitudine, quidquid est vitae, ad Naturae Legem dirigat, quae in cogitando agendoque posita, jubet rerum divinarum humanarumque cognitione ad virtutem contendere. Neque vero quisquam vel in hoc terrarum orbe, vel in aliquo totius universi angulo ita seclusus ab omni consortio & desolatus cogitari potest, ut ab officiis erga Deum vacet, ac solutus censeatur. Deus omnium rerum creator & communis parens nos, ubicumque simus, amplexu suo & quasi sinu continet: in hoc vigemus, vivimus, degimus: ab hoc quisque non magis quam à se ipso discedere potest: hujus ea est nobiscum conjunctio, ut neque nos ejus potestatem praesentiamque effugere possimus, nec ipse nos desertos abjectosque relinquere velit: hujus voluntas est illa, de qua diximus, Naturae Lex, jubens nos recte agere, id est virtuti studere, ad eamque à Sapientia, quae est rerum divinarum humanarumque scientia, proficisci. Ergo si aeternae hujus Legis tanta est vis, ut eos etiam teneat, si qui à caeterorum omnium hominum communione seclusi degunt: quanto magis vos ea Lege teneri par est, qui in civili societate vivitis, qui in eadem, qua antea, vivitis, in qua parentes vestros, fratres, cognatos, affines habetis: vos qui aetate ineuntis adoles-

centiae floretis: qua vestrum officium est, indita vestris ingeniis à Deo creatore semina virtutis sapientiaeque ad harum proventum maturitatemque excolere: qui, hoc ipso fructu proposito, à parentibus tutoribusve vestris, in hanc bonarum artium officinam, Leidensem Academiam, missi estis.

Ac ne quis nos arguat temere agere, quod de patria disserentes, nec definitionem ejus, nec generis in formas distributionem apponamus; possumus sane in re perspicua communem sequi notionem, qua patria dicitur terra illius nationis, in qua quis natus est, cujusque nationis partem obtinet. Cum notione enim patriae omnino conjunctas esse notiones terrae & nationis vel Nomades documento sunt: qui nullius certae sedis in domicilio fixi, tamen illum hominum gregem, in quo nati sunt, illudque terrarum spatium, in quo vagantur, patriam suam censent. Est vero vel naturalis cuique patria, vel adoptiva: veluti Batavia vobis naturalis est, mihi adoptiva. Et Athenarum urbs fuit adoptiva plerorumque philosophorum & hominum doctorum patria, qui eam docendo illustrarunt: eademque caussa & semper fuit, & hodieque est celebriorum scholarum: ex quibus unam hanc Lugduno-Batavam, inque ea unam Humaniorum Literarum cathedram memoremus; in qua hanc disciplinam

fun-

fundavit Josephus Scaliger, tutatus est Vossius, Salmasius, J. F. Gronovius, Ruhnkenius, egregii viri: quorum Batavia adoptiva fuit patria: quae eadem naturalis fuit patria magnorum virorum, qui tamquam Scaligeranae disciplinae propagines eamdem cathedram ornarunt, Perizonii, Burmanni, Oudendorpii, Valckenarii. Ego vero Ruhnkenii Valckenariique discipulus ac successor; quod natus civis Helvetius, me civem Batavum fero, & hanc vobiscum communem meam patriam appello, profecto non mirabimini, A. A. Multi sunt anni quod Batavia me sibi civem, & ego mihi illam patriam adoptavi. Idque ego publice professus sum in Oratione habita Amstelodami a. MDCCLXXXV, auspicandae Literarum Historiarumque cathedrae, his ipsis verbis ad Consules Curatoresque, Viros Amplissimos, utens: *Ego*, inquam, *cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi munera; tum per magnam ejusdem cum natali mea patria similitudinem, morum, legum, institutorum: his igitur caussis paullatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaerescerem, tum judicio & voluntate me applicarem.* Fuit autem haec applicatio non solum jure civitatis, sed sensu quoque & affectu; ut quoties me naturalis repetebat, toties adoptiva retineret. Et tunc haec florebat,

& nos cum illa florebamus: nunc, ut lenissime dicamus, defloruit; & nos deflorescimus: neque tamen idcirco minus eumdem erga eam animi sensum affectumque obtinemus.

Age vero! ab hac subtiliore disputatione ad historiam nos & exempla convertamus, videamus, quid sit illud: *patria carere*: & an haec nostra nunc sors & caussa sit.

An igitur nostrum hujusmodi negotium est, quale Virgiliani pastoris Meliboei:

Nos patriae fines, & dulcia linquimus arva.
At nos hinc alii sitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam & rapidum Cretae veniemus Oaxen,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Nimis procul abire cogitat pastor: poterat in vicinam Siciliam, pastorum fere patriam: poterat à Tityro invitatus apud hunc requiescere noctem, cujus commendatione à Caesare amissos agros recuperaret, jam rerum potito reliquam laudem in sanandis belli calamitatibus ponente. Nostrum diversum est negotium: mansimus in patria, &, ut spero, manebimus.

Alii sunt multi patriae amittendae modi. Hebraeorum populus ter solum vertere coactus est: primum, Israëliticum Regnum ab Assyriis eversum, mox Judaicum à Babyloniis; hinc redu-

ces pars veteres sedes, Cyro annuente, recepe- runt: à Romanis ex Palaestina in perpetuum pulsi, ac prohibiti, suae religionis tenaces, per totum terrarum orbem dispersi, in aliorum populorum ditione inquilini durissima plerumque conditione vixerunt. Alii cum victoribus aliisque populis coaluerunt. Veluti reliqui Carthaginienses, quos, capta patria, eorum civis philosophus, Punico nomine Hasdrubal, Graeco Clitomachus dictus, tunc Athenis Academiam obtinens, scripto libro consolatus est: ut refert Cicero Tusc. III, 22: hi ergo partim ad alios populos vagati, partim in Italiam translati, per agros & oppida distributi, in illorum gentem, linguam, mores abierunt. Sic Albani Romam traducti, in Romanum nomen transierunt. Et fuit hoc, inde ab auctore Romulo, Romanorum institutum, victos populos Romam transferre, in civitatem recipere, eorum non modo corpora, sed animos sibi adjungere, in horum vacuos agros oppidaque ex redundante plebis Romanae multitudine pauperiores quosque colonos emittere, itaque & urbem turbae faece purgare, & remp. novorum civium accessione & veterum in colonias deductione firmare.

Hujusmodi migrationes aliae plurimae fuerunt voluntariae: id est, non quae à victoribus impe-

 ra-

rarentur, sed à temporibus suaderentur. Quae caussa fuit innumerabilium deductarum à Graecis populis coloniarum. In quibus migrationibus multas ejusmodi cognovimus non ut pars populi in patria remaneret, sed ut universus eam populus relinqueret, & novas quaesitum sedes abiret. Sic, eversâ Trojâ, Aeneas in Italia Romanum populum ad Tiberim, Antenor Venetum ad Padum fundavit. Fuerunt etiam, qui salvam adhuc & stantem, sed capi periclitantem relinquerent. Phocaei Iones, ingruente Persarum potentia, urbem vacuam deserentes, navibus conscensis, vela ventis dederunt, novas sedes quaesiverunt: primo Corsicam insulam occuparunt: hinc à Carthaginiensibus pulsi, in Galliae oram delati, ad Rhodani fluvii ostium clarissimam urbem Massiliam condiderunt: ex eaque cum bellica scientia, tum Graeca humanitate, in propinquas terras mariaque dominati, ne nunc quidem defecerunt. Paucis postea annis, Xerxe Persarum rege ipsam Graeciam infinitis cum copiis terra marique invadente, Athenienses, consilio Themistoclis, naves conscenderunt, patriam hostibus vastandam incendendamque reliquerunt, eosdem hostes è Graecia repulerunt, patriam recuperarunt: quod inceptum nisi illis successisset, iisdem animis, manibus, navibus freti, novam sibi patriam comparassent. Atque eam-

eamdem viam expediendae salutis desperatis in rebus dicitur Batavis suis ostendisse stator nascentis hujus reip. Guilielmus I, ut ingratam situ terram Hispanisque potentibus obnoxiam relinquentes, in naves se reciperent, iisque fidentes meliores tutioresque sedes quaererent. Sed neque tunc opus illo facto fuit; neque nunc illo consilio locus est.

Tales igitur patriae amissiones novimus; quibus quis ex ea migrat, abit, fugit: quibus autem quis in ea manet, vivit, servatur, migrationes non novimus. "Sed tamen, inquit, patria multum ornamenti commodique amisit, quod ex regno in provinciam alterius regni mutata est. De hoc ego, ut nunc est, non statuo: illud scio, hoc, quod in rebus externis à fortuna immissis dicitur *bonum* aut *malum*, non ita simpliciter & absolute se habere, sed utcumque *bene* aut *male* susceptum fuerit: sic, si illam mutationem recte exceperimus ac tulerimus, utilis erit: si non recte, damnosa.

Hujus autem praecepti auctorem habemus gravissimum, & à praestantissimis philosophis passim usurpatum, Euripidem: cujus ex Bellerophonte haec fertur sententia. (*).

Τοῖς

(*) Apud Stobaeum Florileg. LII, p. 360: CVI, p. 568: utroque loco vertit Grotius, p. 207, 451, posteriore

Τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών.
Μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν· ἀλλ' ὁὐντυγχάνων
Τὰ πράγματ' ὀρθῶς ἂν τιθῇ, πράξει καλῶς.

Quam scite Grotius vertit:

Nam neutiquam hominem rebus irasci decet;
Nil quippe curant. Vertere at in usus suos
Quod casus offert, optimum ac tutissimum est.

Plutarchus vero sic interpretatur: *Fontem tranquillitatis animi in nobis insitum expurgemus: ut etiam res adversas extrinsecus nobis accidentes tamquam familiares nec molestas excipiamus ac feramus. Est profecto illud usurpandum:* Τοῖς πράγμασιν γάρ, κ. τ. λ. *Ludo enim tesserarum Plato vitam comparabat, ubi & jaciendum est, quod sit optimum; & quod jactu cecidit, recte usurpandum. Et jacere quidem quod volumus, non est in nostra potestate: at hoc, si sapimus, nostrum est, res à fortuna oblatas recte accipere, & suo quamque ponere lo-* **co,**

riore rectius. Plutarchus de Animi Tranquillitate p. 467, A. Marcus Antoninus VII, 38, ibique Gatakerus. Spectat eodem Epictetus Dissert. II, 5, ad quem videatur Vptonus p. 112. Valckenarius ad Euripidis Phoen. 221. Platonis locus est Rep. X, p. 514, G: unde Terentius Adelph. IV, 7.

eo, ubi & noceat minimum, & plurimum juvet. Haec ille ex nostra interpretatione: plura apud ipsum legatis. Nos vero, ut volumus esse Antiquorum studiosi, sic illorum praecepta ad actionem referamus; & quidquid hac in vita, extra nostram potestatem in fortuna positum, adversum nobis acciderit, id, ut à divina providentia nobis tributum, grato erga eam animo accipiamus, &, quoad ejus fieri potest, ad nostram salutem virtutisque fructum accommodemus.

Sed, si patria per eam conversionem multum commodi amisit, nos idcirco patriam non amisimus. Alioquin quaevis mutatio status publici, veluti ex rep. in regnum, & in ipsa reip. formâ, ex aristocratia in democratiam, patriae amissio dicenda erit. Quod sane absurdum fit; ita enim consequatur, ut amissum amittatur; quum tamen nemo nisi id, quod habet, amittere queat: & id, quod semel amissum est, rursus amitti non possit. Nunc multi quodam civilis factionis impetu & errore occupati, tum demum patriam exstare & vigere putant, si ea obtinet forma & constitutio, quam ipsi probant. Memini me audire democraticos homines, anno MDCCLXXXVII aristocratiâ restitutâ, lamentantes patriam tamquam oppressam ac perditam. Item vicissim fecerunt aristocratici a. MDCCXCV, constituta

ſtituta democratia, clamantes nunc vero patriam funditus periisſe. Memini utroque anno patres, priore democraticos, poſteriore ariſtocraticos, ita doluisſe, ut nollent filios ſuos ad ſtudia colenda in Batavas Academias mittere, ſed eos aut otiari ſinerent, aut in exteras regiones docendos ablegarent, atque adeo ipſi cum iis ad exteros abirent, dictitantes nil jam esſe in Batavia, quod quidquam boni diſcere quis posſit. Hi patria quid ſit ignorabant: formam & externum habitum pro re ipſa habebant: nesciebant, patriae unum & perpetuum quaſi corpus conſtare, formas conſtitutionis pro temporum varietate, tamquam veſtitum, mutari. Quod niſi ita esſet, patriae vis & natura nulla exſtaret, neque umquam quisquam populus certam ſuam patriam haberet. Et ne de aliis populis dicamus, Batavus quando tandem iſtorum hominum judicio veram juſtamque patriae formam appellationemque obtinuit? Primum, quoad ejus conſtat, fuit ſui juris: tum cum reliquis Belgis in Romanorum foedere ac ditione: deinde ſub Francis regibus Merovingicis & Carolingicis: quibus exſtinctis, in clientelam venit Regum Germaniae: ſub utrisque ſuos habuit praefectos, unde Friſiae Hollandiaeque Comites exſtiterunt: his ſucceſſerunt Hannoniae Comites: quorum dominium excepit gens Bavarica: porro, Burgundica,

dica, Auſtriaca, Hispanica: deinceps Respublica; nuper Regnum: nunc provincia Imperii Francici. Quibus omnibus in dynaſtiarum imperiorumque varietatibus hic populus patriae nomine ac jure numquam caruit. Ergo qui poſtulat ut patria ſemper eâdem, quam ipſe probat, civitatis formâ ſtet, permaneat, floreat, poſtulat omnino praecipuam quamdam & ſupra humanum captum poſitam fortunam. Quis veſtrum neſcit praeclaram illam Ciceronis ſententiam, quo ipſe in ſimili cauſſa ſe ſuſtentavit, tum quum resp. in unius poteſtatem Caeſaris veniſſet? *Id enim ipſum*, inquit, *à Platone philoſophiaque didiceram, naturales eſſe quasdam converſiones rerum publicarum, ut eae tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à ſingulis. Quod quum accidiſſet noſtrae reipublicae, tum priſtinis orbati muneribus haec ſtudia renovare coepimus; ut & animus moleſtiis hac potisſimum re levaretur: & prodesſemus civibus noſtris qua re cumque posſemus.* Atqui, quum naturales hae ſint converſiones, recuſare eas non debemus. At, inquit, durum eſt hanc converſionem in mea potius quam majorum aut poſteriorum tempora incidere! Haec omnia vidi! Quid miſer merui, ut in hanc fortunam reſervarer. Quin tu, inquam, iſtum tolle luctum, quo declaras, te non pa-

triae,

triae, sed tui causſa dolere: non patriam, sed te ipsum, amare: & potius in parte felicitatis tuae pone ad ea tempora te servatum esse, ut iis te aggregare posses civibus, qui re, opera, consilio, temperantia, frugalitate, exemplo, patriae ruinam fulcirent.

Iam vero unius imperium ac principatum, quam monarchiam vocant, Literarum doctrinarumque studiis non obesse, omnis testatur historia, & vetus, & nova, atque adeo novissima; siquidem invictus Caesar, qui nos Imperio suo adscivit, multa sui erga Literas favoris studiique documenta dedit, in his *Constitutionem de Praemiis Decennibus*: de quibus *Relationem Iudicum* nobis misit ejusdem in his terris Vicarius, Dux Placentiae, Princeps Archithesaurarius Imperii, vir humanissimus idem & eruditissimus, affirmans hoc esse Caesari propositum, ut quemadmodum in Francia institutionem publicam & utiles disciplinas recreasset, sic etiam in nostra patria, doctorum hominum, prouti omnium civium, prosperitati consuleret.

Nostis, A. H., auream aetatem Latinarum Literarum in primis aevo Caesaris Augusti censeri, qui Romanam remp. in singulare imperium convertit. Quae quidem aetas profecta à Cicerone, cujus divino ingenio non solum eloquentia ad summam praestantiam exculta, sed caete-

rae

rae artes ac disciplinae inchoatae funt: in his excellentisfimos auctores tulit: poëtas, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, Ovidium: hiftoricos, Nepotem, Salluftium, Livium: & alios multos in aliis generibus, fcriptores, & hoc aevum, & fequens omnis Caefarum aetas, tulit: quos recenfere nil attinet.

Magis me advertunt Graeci, in primis Athenienfes, quibuscum nobis major laudis & fortunae fimilitudo intercedit. Hi ergo, quum, ut reliqui finguli Graeciae populi, in liberae forma reip. degisfent, in iisque & maritimo imperio & mercaturae negotiis, & Literarum artiumque ftudiis principes, Darium & Xerxem, Graeciae fervitutem intentantes, incredibili virtute, acerrimis proeliis, ad Marathonem, Artemifium, Salaminem, Plataeas, victos fugere coëgisfent: tum Peloponnefio bello diuturno ac difficili fe adverfus ipfos Graecos tutati esfent; tandem, non obftante tanta virtutum victoriarumque gloria, labefactati funt invalescente Macedonum potentia, Philippi & Alexandri; in quorum & his deinceps fuccedentium regum ditione fuerunt: quibuscum denique ac tota cum Graecia ipfi quoque in Romanorum poteftatem redacti funt. Atque in tanta cafuum converfionumque varietate, caeteris jacentibus, foli Athenienfes ftare videbantur: à Macedonibus,

bus, aliis Graecis regibus, Romanis principibus in rep. viris, & Caesaribus, praecipuo semper honore ac dignatione afficiebantur, veteris cum virtutis tum doctrinae causa. Atque ipsi se ad majorum gloriam erigebant; horum victorias & heroes celebrabant, Miltiadem, Themistoclem, Cimonem: ut nos nunc solemus crebris in sermonibus & orationibus usurpare nostros Guilielmos, Ruteros, Trompios, sic illi suis praedicandis obsoletae quamvis laudis recentem suavitatem captabant; ut appareret ad tantorum imitationem exemplorum non animos illis, sed fortunam deesse. Literarum autem doctrinarumque laus ac possessio ita propria ac praecipua mansit Athenarum; ut quamvis multae harum scholae per reliquam Graeciam, Asiam, Syriam, Aegyptum, constitutae essent celeberrimae, Alexandriae, Antiocheae, Seleuciae, Apameae, Laodiceae, Pergami, Tarsi, Rhodi, Mitylenae, tamen sola Athenarum urbs avitum patrimonium verae elegantiae, sola germanam doctrinae rationem, sola antiquum sincerumque venustatis habitum, sonum, colorem, obtinere censeretur: ipsa fons & patria, illae autem rivuli ejus & coloniae haberentur.

Et vero sub Alexandro Macedone ejusque successoribus magnum contigit Literarum studiis incrementum; non modo prioribus amplificandis ge-

generibus, Poëfi, Hiftoria, Rhetorica, Philofophia; fed nova prodeunte doctrina, Grammatica, quae eadem Philologia & Critica nominatur, Latine *Literaturam* dixere nonnulli, quae interiorem Linguae rationem tradit, antiquorum cenfuram agit auctorum, hos atque omnem Hiftoriam, & Antiquitatem inquirit, explicat, interpretatur. Denique infigniter aucta eft Philofophia: quae quum adhuc Athenis quafi peregrinata esfet, jam perpetuam ftabilemque in ea urbe fedem accepit, quatuor celeberrimis ibi conftitutis fcholis: Platonica, in Academia: Ariftotelica, in Lyceo: Stoica, in Stoâ: Epicurea, in Horto. Tantam igitur omnis doctrinae vim & copiam Athenae finu fuo complexae, cum caeteris populis communicaverunt; ut deinceps per multa faecula omnes ex toto terrarum orbe ftudiofi adolefcentes, qui quidem diligentem, locupletem, & elegantem disciplinarum Literarumque rationem percipere vellent, in hanc Vrbem confluerent, quae una verisfima & cogitandi, & dicendi, & vivendi, parens ac magiftra esfet: atque mortalibus non folum humanitatis cognitionem expromeret, fed etiam divinitatis communionem impertiret: & quod mirifice cecinit vates,

—— summam sapientia panderet arcem,
Quatuor antiquis quae heredibus est data consors
Vnde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possent contemnere curas.

Haec de Graecis & Romanis uberius tradimus in Historia Literarum: nunc, brevissime dicta, nostro proposito sufficiunt. Illud enim volo, ut, quando fortunâ similes Atheniensium sumus, eorumdem nos similes animis praestemus. Hi majoribus orti, qui suam Graeciaeque libertatem egregiis victoriis tutati essent, maris imperium obtinuissent, doctrinae laude floruissent, quum temporum adversitate, & fati necessitate ineluctabili, in exterorum ditionem populorum redacti, externa bona amisissent; interna retinuerunt & excoluerunt, iisque excolendis non solum in alios victos, sed in ipsos victores populos ingenii doctrinaeque imperium sibi asseruerunt. Vestri majores, A. H. quam simili usi sint fortuna, longum est referre. Hi septimo anno, belli illius recentiore aetate acerrimi, atrocissimi, maxime diuturni, quippe per octoginta annos gesti: hujus igitur fere initio, quum Hispanos huic urbi interitum & civibus extrema supplicia intentantes, incredibili fortitudine & patientia repulissent, mox in hac ipsa urbe hoc Musarum Sacrarium, Academiam, auctore Guilielmo

licimo I, constituerunt, rebus quamvis, ut videbatur, dubiis, tamen tacito animi sensu, principatum ei Literarum praesagientes, & tamquam in prytaneo sacrum lumen accendentes & alentes, unde alii populi lumina sibi sua accenderent. Atque ita evenit, & adhuc fuit, quantum quidem per publicas calamitates licuit.

Quod bonum quum nobis, amissis aliis, non quidem integrum, sed magnam tamen partem, supersit, age illud colamus, alamus, curemus. Vt singulorum hominum, sic universorum populorum, suae sunt vicissitudines, sua officia. Itaque & Batavi populi est, utramque fortunam modeste ferre: secundam, qua floruit, & aliorum fuit princeps & arbiter populorum, non superbe & insolenter tulisse, laudi fuit: adversam, qua in aliorum potestatem redactus est & imperium, non humiliter nec abjecte ferre, non minori laudi erit; si quidem fortitudinis munus non solum in agendo, sed & in patiendo, cernitur; & utrumque prudentiae est. Et id quidem commune est uniuscujusque nostrum privatim, & universi populi publice, id est patriae, officium. Hoc vero proprium uniuscujusque civis erga patriam, idque sanctum debitumque, non se necessitudine patriae solutum ferre, quasi nulla nobis amplius patria sit, nullum erga eam supersit officium. Quae profecto opinio & rationi & pietati re-

pugnat. Immo, ut parentes nostrum quisque suos semper quidem diligere & observare, maxime autem tum obsequio & cura posequi debet, quum aegrotantes aut alio casu quocunque debilitati, nostro auxilio indigent: sic patriam communem parentem, per quam florentem ipsi floruimus, multasque vitae commoditates prosperitatesque percepimus, deinde afflictam & alieno imperio subjectam ignorare, negligere, nec amplius eodem jure nobiscum conjunctam putare, non modo turpe & ingratum, sed impium & nefas sit: contra, & fas, & pium, & gratum, & honestum, & vero gloriosum, jacenti laborantique succurrere, idque eo magis, quo magis ipsa nostram opem desiderat, nosque ei omnia debemus, & haec unica superest ejus servandae ratio, si suo quisque officio fungatur. Quodnam autem ex meis vestrisque officiis illud sit, quod ad rem praesentem, nostramque institutionis necessitudinem pertineat, dixi in principio, meum esse docere, vestrum discere: quamque vim habeat illud, quod *discere* vocamus, ibidem demonstravi. Agite ergo, Humanissimi Adolescentes, sic enim vos appellans, rite appellem: qui nati in humanissimo populo Batavo, ad humanitatis studia colenda in hanc Musarum sedem venistis: & Batavi populi cum Atheniensibus similitudinem porro tueamini: qui

sub

ſub Macedonibus & Romanis veterem ingenii doctrinaeque gloriam principatumque retinuerunt: incumbite toto pectore ad Literarum artiumque ſtudia: eamque laudem hereditariam à majoribus acceptam, item nepotibus hereditariam tradite, qui eam ipſi ad ultimam usque aetatem poſteritatemque propagent: oſtendite lumen veſtrum caeteris omnibus populis; comprobate veſtro exemplo celebratam illam Platonis ſententiam, virtutem ſui esſe juris, ſub omni imperio immunem, integram, in noſtra poteſtate poſitam, conſtare: ex humanitatis doctrinarumque ſtudiis efflorescere prudentiam, ex prudentia, temperantiam, juſtitiam, fortitudinem, ipſamque ſapientiam, cujus posſesſione ſummum bonum, id eſt vita beata, continetur. Ita ſit: & ſervet vobis hanc mentem D. O. M.

NARRATIONES

ET

LIBRORVM SVMMARIA;

EPITOMAE, IVDICIA.

I. *ANTHOLOGIA GRAECA cum Verfione Latina HVGONIS GROTII edita ab HIERONYMO DE BOSCH. Vltrajecti è typographia B. Wild & J. Altheer.* 4. *Tomus* I, *a. MDCCXCV*, *pagg.* 551. *Tomus* II, *a. MDCCXCVII*, *pagg.* 579. *Tomus* III, *a. MDCCXCVIII*, *pagg.* 562. *Tomus* IV, *HIERONYMI DE BOSCH, Obfervationes & Notae in Anthologiam Graecam, quibus accedunt CL. SALMASII Notae ineditae, a. MDCCCX. pagg.* 520.

Primum hujus capitis locum damus libro, ad quem commemorandum, non modo argumentum, fed & Editoris nos vocat amicitia; cujus quanta fit necesfitudo & vetuftas, vel epiftola noftra documento eft, in principio Partis Vndecimae, Bibliothecae Criticae, pofita. Nam quum ab ineunte aetate & ingenium praeftantisfimi Bofchii ad Literas egregiamque Latini carminis pangendi facultatem ferretur, & aures quotidie divinis Grotii laudibus perfonarent, hujus viri cum caeteram infinitae doctrinae copiam & varietatem, tum vero in Graecis verfibus Latine reddendis elegantiam, admiratus eft. Cujus

elegantiae quum adhuc duo in primis exstarent opera: alterum *Dicta Poëtarum è Stobaeo*, alterum *Excerpta è Tragoediis & Comoediis Graecis:* tertium latebat Anthologiae Graecae opus Latine versum, nondum editum, sed paucis in scriptis exemplis servatum: quorum unum fuerat apud Dorvillium, ex quo suum sibi exemplum descripserat illius postea successor, Petrus Burmannus Secundus: quod apud hunc ejus discipulus & amicus Boschius conspicatus, miram ejus potiundi cupidinem concepit: cui fortasse Burmannus concessisset, nisi ipse de hoc opere edendo cogitasset, quod Anthologiae Latinae antea à se editae idoneam accessionem fore judicaret. At ejus propositum mors praevertit. Incidebant in illam aetatem frequentia hominum doctorum de Anthologia Graeca bene merendi studia. Et Brunckius novam ejus editionem fecit: quam recensuimus Parte II, Bibliothecae Criticae a. MDCCLXXVII. Proximo anno obiit Burmannus, de quo diximus Parte III, p. 139. Altero deinceps, MDCCLXXIX, Leidae facta est Burmannianae bibliothecae auctio. Venerant literati ὅ, τι περ ὄφελος, non modo Leidenses, sed ex aliis locis Batavis advenae: & absentes sua miserant mandata: studium emtorum pretia librorum accendebat. Erant vero illa tempora, quae significavimus Parte XII, p. VI: divi-

vitiae per mercaturam adfluebant, pleno quidem alveo ad mercatores; sed & ad alios, & literatos quoque, tenues quidem, sed tamen rivuli veniebant, quibus eruditus pulvis adspergeretur: illi praecipue, hi obiter fruebantur: quod Graece declaremus; illis enim contingebat ἀπολαύειν, his παραπολαύειν. Illud sine dubio, literatis non deerat copia ad liberaliter vivendum, immo superaerat ad bibliothecam instruendam. Caeterum, quum in auctione illa libris ex ordine vendendis ad Anthologiam Grotianam ventum esset, plures continuo exstiterunt licitatores: quorum caeteri mox destiterunt, duo soli perstiterunt, Boschius pro se ipse, Valckenarius pro Brunckio licitans: qui ultra mandatum, quamvis magnum, pretii modum progressus, tandem illi cessit: tum negotio ad Brunckium perscripto, ab eo flagitatur ut librum quavis conditione, proposito etiam ampliori pretio, à Boschio auferre studeret. At surdo fabula narrabatur: qui hoc tamquam thesauro laetus, eum fovebat, colebat, & ad editionem ornare instituebat. Cui primum hoc nomine magnae debentur à literatis hominibus gratiae, quod non dubitavit & magnam pecuniam impendere, & oblatum lucrum repudiare, ut eos ipse hoc vulgandi libri munere mactaret: deinde, quod munus non nudum, quale ipse ac-

acceperat, sed bene vestitum auctumque in lucem produxit. Ac primum quidem rara fuit & infrequens, quae huic proposito tribueretur opera: quam deinde frequentavit dilectissimae sororis Indithae obitus luctuosissimus. Hujus enim acerbissimi & recrudescentis subinde vulneris quum neque firmior ad diuturnitatem fore medicina videretur, quam si animus certo quodam opere occupatus teneretur: & opus huic proposito maxime idoneum occurreret, ac jam praesto esset inchoata paulo antea, & destinata dudum editioni, Anthologia; hoc Boschius continuo egit; atque, prodeunte interea eruditissimi Iacobsii editione totius Anthologiae, huic & postea magnam copiarum suarum partem impertivit: neque tunc ab incepto deterreri se passus est. Et recte profecto; quippe qui diversum consilium sequeretur: Grotianum daret opus, comprehensum Epigrammatibus Planudeae Anthologiae & quibusdam aliis, Latino carmine redditis: propriis etiam ornamentis munus suum commendaret: quae nos breviter recensenda singulorum voluminum materia declarabimus. Igitur quum tribus prioribus voluminibus contineatur Latinum opus Grotii, cum Graeco exemplo, sub eodem conspectu, proxima quaque pagina posito; unumquodque nonnullas accessiones habet. In Primi principio exstat Editoris poëma

ma *Genio Hugonis Grotii S:* ejusdem brevis praefatio ad *Aequum Lectorem* : tum *Hugonis Grotii Prolegomena ad hanc Anthologiae editionem:* deinde ipsius operis libri duo priores. Secundi januam aperit *H. Boschii praefatio ad Virum optimum & eruditissimum Chr. Gottl. Heyne:* sequuntur operis libri duo, III, & IV. Tertium habet reliquos libros, V, VI, VII; & quatuor *Grotii Mantissas*, id est accessiones Epigrammatum, cum tribus Theocriti Idylliis, & Epigrammate in Pisandri statuam: praemittitur *H. Boschii praefatio ad Cornelium van Lennep & Danielem Hooft, amicos:* subjunguntur, *Petri Danielis Huetii Notae in Anthologiam Planudeam; cum plenioribus in Pauli Silentiarii Thermas Pythicas:* sequuntur Variae Lectiones codicis Palatini ad Anthologiam Planudeam editionis H. Stephani, hujus exemplo adscriptae à Fred. Sylburgio ex apographo Gruteri, cum ipsius Sylburgii emendationibus. Quarti hae deinceps sunt partes: *H. Boschii praefatio ad virum amicissimum Davidem Jacobum van Lennep J. U. D. Literarum Humaniorum in Athenaeo Illustri Amstelaedamensi Professorem. H. Boschii Descriptio edendae Anthologiae Graecae ab Hugone Grotio Latinis versibus redditae. Davidis Ruhnkenii Epistola ad H. Boschium*, scripta Leidae d. IX, Martii a. MDCCXCIII,

de

NARRATIONES

ET

LIBRORVM SVMMARIA; EPITOMAE, IVDICIA.

I. *ANTHOLOGIA GRAECA cum Versione Latina HVGONIS GROTII edita ab HIERONYMO DE BOSCH. Vltrajecti è typographia B. Wild & J. Altheer. 4. Tomus I, a. MDCCXCV, pagg. 551. Tomus II, a. MDCCXCVII, pagg. 579. Tomus III, a. MDCCXCVIII, pagg. 562. Tomus* IV, *HIERONYMI DE BOSCH, Observationes & Notae in Anthologiam Graecam, quibus accedunt CL. SALMASII Notae ineditae, a. MDCCCX, pagg.* 520.

Primum hujus capitis locum damus libro, ad quem commemorandum, non modo argumentum, sed & Editoris nos vocat amicitia; cujus quanta sit necessitudo & vetustas, vel epistola nostra documento est, in principio Partis Vndecimae, Bibliothecae Criticae, posita. Nam quum ab ineunte aetate & ingenium praestantissimi Boschii ad Literas egregiamque Latini carminis pangendi facultatem ferretur, & aures quotidie divinis Grotii laudibus personarent, hujus viri cum caeteram infinitae doctrinae copiam & varietatem, tum vero in Graecis versibus Latine reddendis elegantiam, admiratus est. Cujus

elegantiae quum adhuc duo in primis exstarent opera: alterum *Dicta Poëtarum è Stobaeo*, alterum *Excerpta è Tragoediis & Comoediis Graecis:* tertium latebat Anthologiae Graecae opus Latine versum, nondum editum, sed paucis in scriptis exemplis servatum: quorum unum fuerat apud Dorvillium, ex quo suum sibi exemplum descripserat illius postea successor, Petrus Burmannus Secundus: quod apud hunc ejus discipulus & amicus Boschius conspicatus, miram ejus potiundi cupidinem concepit: cui fortasse Burmannus concessisset, nisi ipse de hoc opere edendo cogitasset, quod Anthologiae Latinae antea à se editae idoneam accessionem fore judicaret. At ejus propositum mors praevertit. Incidebant in illam aetatem frequentia hominum doctorum de Anthologia Graeca bene merendi studia. Et Brunckius novam ejus editionem fecit: quam recensuimus Parte II, Bibliothecae Criticae a. MDCCLXXVII. Proximo anno obiit Burmannus, de quo diximus Parte III, p. 139. Altero deinceps, MDCCLXXIX, Leidae facta est Burmannianae bibliothecae auctio. Venerant literati ὅ, τι περ ὄφελος, non modo Leidenses, sed ex aliis locis Batavis advenae: & absentes sua miserant mandata: studium emtorum pretia librorum accendebat. Erant vero illa tempora, quae significavimus Parte XII, p. VI: divi-

vitiae per mercaturam adfluebant, pleno quidem alveo ad mercatores; ſed & ad alios, & literatos quoque, tenues quidem, ſed tamen rivuli veniebant, quibus eruditus pulvis adſpergeretur: illi praecipue, hi obiter fruebantur: quod Graece declaremus; illis enim contingebat ἀπολαύειν, his παραπολαύειν. Illud ſine dubio, literatis non deerat copia ad liberaliter vivendum, immo ſupererat ad bibliothecam inſtruendam. Caeterum, quum in auctione illa libris ex ordine vendendis ad Anthologiam Grotianam ventum eſſet, plures continuo extiterunt licitatores: quorum caeteri mox deſtiterunt, duo ſoli perſtiterunt, Boſchius pro ſe ipſe, Valckenarius pro Brunckio licitans: qui ultra mandatum, quamvis magnum, pretii modum progresſus, tandem illi ceſſit: tum negotio ad Brunckium perſcripto, ab eo flagitatur ut librum quavis conditione, propoſito etiam ampliori pretio, à Boſchio auferre ſtuderet. At ſurdo fabula narrabatur: qui hoc tamquam theſauro laetus, eum fovebat, colebat, & ad editionem ornare inſtituebat. Cui primum hoc nomine magnae debentur à literatis hominibus gratiae, quod non dubitavit & magnam pecuniam impendere, & oblatum lucrum repudiare, ut eos ipſe hoc vulgandi libri munere mactaret: deinde, quod munus non nudum, quale ipſe

ac-

acceperat, sed bene vestitum auctumque in lucem produxit. Ac primum quidem rara fuit & infrequens, quae huic proposito tribueretur opera: quam deinde frequentavit dilectissimae sororis Indithae obitus luctuosissimus. Hujus enim acerbissimi & recrudescentis subinde vulneris quum neque firmior ad diuturnitatem fore medicina videretur, quam si animus certo quodam opere occupatus teneretur: & opus huic proposito maxime idoneum occurreret, ac jam praesto esset inchoata paulo antea, & destinata dudum editioni, Anthologia; hoc Boschius continuo egit; atque, prodeunte interea eruditissimi Iacobsii editione totius Anthologiae, huic & postea magnam copiarum suarum partem impertivit: neque tunc ab incepto deterreri se passus est. Et recte profecto; quippe qui diversum consilium sequeretur: Grotianum daret opus, comprehensum Epigrammatibus Planudeae Anthologiae & quibusdam aliis, Latino carmine redditis: propriis etiam ornamentis munus suum commendaret: quae nos breviter recensenda singulorum voluminum materia declarabimus. Igitur quum tribus prioribus voluminibus contineatur Latinum opus Grotii, cum Graeco exemplo, sub eodem conspectu, proxima quaque pagina posito; unumquodque nonnullas accessiones habet. In Primi principio exstat, Editoris poëma

ma *Genio Hugonis Grotii S:* ejusdem brevis praefatio ad *Aequum Lectorem*: tum *Hugonis Grotii Prolegomena ad hanc Anthologiae editionem:* deinde ipsius operis libri duo priores. Secundi januam aperit *H. Boschii praefatio ad Virum optimum & eruditissimum Chr. Gottl. Heyne:* sequuntur operis libri duo, III, & IV. Tertium habet reliquos libros, V, VI, VII: & quatuor *Grotii Mantissas*, id est accessiones Epigrammatum, cum tribus Theocriti Idylliis, & Epigrammate in Pisandri statuam: praemittitur *H. Boschii praefatio ad Cornelium van Lennep & Danielem Hooft*, *amicos*: subjunguntur, *Petri Danielis Huetii Notae in Anthologiam Planudeam; cum plenioribus in Pauli Silentiarii Thermas Pythicas:* sequuntur Variae Lectiones codicis Palatini ad Anthologiam Planudeam editionis H. Stephani, hujus exemplo adscriptae à Fred. Sylburgio ex apographo Gruteri, cum ipsius Sylburgii emendationibus. Quarti hae deinceps sunt partes: *H. Boschii praefatio ad virum amicissimum Davidem Jacobum van Lennep J. U. D. Literarum Humaniorum in Athenaeo Illustri Amstelaedamensi Professorem. H. Boschii Descriptio edendae Anthologiae Graecae ab Hugone Grotio Latinis versibus redditae. Davidis Ruhnkenii Epistola ad H. Boschium*, scripta Leidae d. IX, Martii a. MDCCXCIII, de

de hac editionis descriptione: accedunt quaedam notulae H. Boschii ad illustrandos nonnullos illius Epistolae locos. *Frederici Jacobs Praefatio*: scripta a. MDCCC: argumentum habet impertitas sibi à Boschio copias: praemissa est Anthologiae Jacobsianae Tomo IX, qui est Animadversionum Voluminis Secundi Pars Secunda. *Claudii Salmasii Notae in* VII *Libros Anthologiae Planudeae à pag.* 1, *ad pag.* 128. *Hieronymi de Bosch Observationes & Notae ad Anthologiam Graecam ab Hugone Grotio Latinis versibus redditam, à pag.* 130 *ad pag.* 502: hae pertinent ad duos priores Anthologiae libros I & II, tum vero ad Grotii Prolegomena. Quas qui legat, profecto intelligat utilissimam in iis Boschium materiam expromsisse ad propositum editionis fructum: veteres editiones diligenter contulisse, multa docte monuisse, carmina Graeca frequenter eleganterque Latine reddidisse, alia etiam sua adspersisse; nonnullas quoque ingeniosas conjecturas corrigendis Latinorum poëtarum versibus prodidisse. In his sunt, p. 370. Horatii Serm. I, 1, 29: *Perfidus hic caupo, miles, nautaeque*: quod sic tentatur, *Pervigil hic campo miles, nautaeque*: p. 353, Propertii III, 10, 25: *Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe, Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae*: pro qua lectione

alia

alia excogitatur, atque adeo ſponte in mentem cuique venire debere dicitur: *Caſtra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara capta, Exuſtaeque tuae, trux Polypheme, genae.* Ejusdem p. 502, II, 20, 28: *Qui dare multa poteſt, multa & amare poteſt.* Hac mutatione ad ſaniorem ſententiam redigitur, ut legatur, *qui durare poteſt multa, & amare poteſt.* Ovidii p. 342, Met. VIII, 159: *Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis, Ponit opus: turbatque notas & lumina flexum ducit in errorem variarum ambage viarum:* D. Heinſii probatum ex codicibus Palatinis *flexu* confirmat ex optima ſua Aldina, a. 1533: de hujusmodi autem uſu plurium Ablativorum docuit nuper literatisſimus Mahnius in Epicriſi p. 81, ſequ. Apud eumdem poëtam Met. IV, 699. *Gorgonis anguiconae Perſeus ſuperator, & alis Aetheriis auſus jactatis ire per auras.* Ex eadem ſua optima Aldina & aliis legendum *Aetherias* monet p. 359. Sunt & noſtrae quaedam inter corrigenda typographica ſpecimina natae obſervationes: cui noſtrae operae adhuc praeſtitae finem fecit nuper incidens oculorum infirmitas. Has & largas Editoris copias ſtudioſi harum Literarum ex ipſius libri lectione cognoſcant: ad quam eos hac noſtra narratione invitare voluimus. Scriptori autem, ad reliquum

opus

opus nobis abſolvendum, accedat deinceps vita, quam meretur, longa & vitalis: idque & Literarum & amicitiae noſtrae cauſſâ, ut ſemper optavimus, ita nunc quoque optamus.

II. ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΦΑΙΔΩΝ. *PLATONIS PHAEDON: explanatus & emendatus Prolegomenis & Annotatione Danielis Wyttenbachii. Lugduni Batavorum, apud Haakios & Honkoopios.* MDCCCX. 8. (*pagg.* 366. *Prolegom. LXIII*)

Phaedonis noſtri nunc mentio nobis brevis facienda eſt: brevis; quia longiorem ei deſtinavimus in proximo libro: mentio; ut in promtu poſita reprehenſio admonitione praeveniatur. Utrumque hujusmodi eſt. Scripſimus in principio praefationis, exeunte anno MDCCCVI, *hanc editionem ſubitam & brevi opere confectam eſſe:* quae verba quum unicuique librum inſpicienti prima ſe offerant, neceſſe eſt eidem aliquid admirationis injiciant, quod cum eorum ſententia ac profeſſione tarditas editionis & libri magnitudo non ſatis conveniant. Quam admirationem quum frequentem fore ſuſpicaremur, & vereremur ne apud pleroſque in reprehenſionem noſtri abi-

abiret, monuimus de causſis dilati & amplificati operis in Epilogo p. 365: quem quum paucos cognituros praevideremus, ejusdem nunc illam partem commemorandam duximus. Quod autem huic libro longiorem cenſuram deſtinavimus, causſae & aliae nobis fuerunt, & haec in primis, quod, eo jam edito, complures nobis in manus inciderunt commentariorum noſtrorum ſchedae ex illa domicilii noſtri urbani clade adhuc disjectae, & inter alios noſtros libros diſperſae: quae ſchedae quum fere ad Phaedonem pertinerent, minime oblivione premendae videbantur. Illam nos cenſuram jam perſcriptam ſequenti, ut diximus, libro reſervamus; ſi forte interea novae ſe nobis, quibus augeatur, animadverſiones offerant. Nunc illud ſaltem moneatur de diſtributione: Graecum opus exſtare à p. 1 ad 98; hinc ad p. 366 Annotationem, Indices & alia, pertinere: Prolegomena autem contineri tribus partibus; Praefatione: Capite V, Disputationis noſtrae de hiſtoria ſententiae immortalitatis animorum, quod eſt de Platone: & item Capite V, Scholarum noſtrarum metaphyſicarum Psychologiae, quod eſt de animi ſimplici natura & immortalitate.

III. *POSIDONII RHODII Reliquiae doctrinae: collegit atque illustravit JANVS BAKE. Accedit D. Wyttenbachii Annotatio. Lugduni-Batavorum apud Haak. & Socios. MDCCCX. 8. pagg. 303.*

De hoc libro nuper ut exituro mentionem injecimus: nunc de edito narremus. Sextus hic est annus, cum in scholas nostras venit Bakius. In quas quum adferret ex puerili disciplina accuratam elementorum grammaticorum cognitionem, & naturale bonum industriae, assiduitatis, judicii, eamdemque viam domestico studio legendis Graecis & Romanis Scriptoribus persequeretur; tertio jam anno eam facultatem assecutus erat, ut progressuum suorum specimen conficere institueret, quo eos ad doctorum hominum cognitionem, & res fortunasque suas honoratis viris tuendas, commendaret. Cumque de argumento scriptionis cogitare coepisset, continuo ei occurrebat cognitus ex Lyndeniana disputatione Panaetius, quasi praesens praesenti persuadens ut discipuli sui Posidonii rationem haberet, ejusque res scriptaque illustranda sibi sumeret. Et erat id argumentum sane dignum, quod & idoneus interpres explicaret, & expli-

citum

citum literati homines cognoscerent. Quod si enim haec una fuisset Posidonii laus, quod Cicero eum audivit & in libris de philosophia multifariam secutus est; haec una profecto laus nos ad virum interius inspiciendum allicere debebat. Nunc fuit unus in praestantissimis Scriptoribus Graecis, doctrinae copia, varietate, elegantia, operum etiam multitudine: quae quamquam perierunt omnia, tamen eorum mentio ac materia late patet per posterorum libros, Ciceronis, Strabonis, Senecae, Plutarchi, Galeni, Diogenis Laertii, Cleomedis, Stobaei, non modo in tribus philosophiae partibus, physica, dialectica, ethica, sed aliis disciplinis, Geographia, Historia, Grammatica, Astronomica. Quo magis operae pretium fuit, disjecta quasi rudera colligere, & ita componere, ut de integri aedificii magnitudine & forma suspicari liceret. Hoc egit Bakius. Respondit eventus coeptis. Opus ex ejus manibus sic exiit; ut & materiae sua copia, & descriptioni ratio, & orationi puritas ac diligentia constaret; argumentumque ab aliis antea, & à Burignyo in Memoriis Academiae Inscriptionum Tomo XXIX leviter affectum, à Bakio demum accurate confectum exstaret. Haec & alia his consentanea in exordio Annotationis nostrae posuimus. Nunc libri deinceps partes recenseamus: quarum propter copiam & amplitu-

tudinem titulis referendis contenti, horum commendatione studiosos harum Literarum ad ipsius lectionem libri vocemus. *Pars* I, p. 1—23, *de vita & rebus Posidonii. Pars* II, p. 24—259, *de doctrina & scriptis Posidonii. Caput* I, §. I, *universe de ratione doctrinae Posidonii.* §. II, *de Philosophia omnium artium inventrice:* §. III, *de dissensione, qua nos absterreri non oporteat à Philosophiae studio.* §. IV, *Philosophiae distributio. Caput* II, *Physica.* §. I, *de principiis, de caussa, de materia.* §. II, *de diis, divinatione, fato.* §. III, *de animo, incorporeis, vacuo, tempore.* §. IV, *de mundo ejusque exitio.* §. V, *de astrologia universe.* §. VI, *de coelestibus.* §. VII, *de sublimibus.* §. VIII, *de terrestribus & geographicis.* §. IX, *historica.* §. X, *geometrica. Caput* III, *Philosophia Moralis, s. Ethica.* §. I, *Ethicae distributio, de bonis & malis, de virtute, de fine, de officiis: paradoxa, caet.* §. II, *de perturbationibus animi. Caput* IV, *Dialectica. Caput* V, *de libris scriptis Posidonii. Caput* VI, *de aliis Posidoniis.* Sequitur nostra *Annotatio* à p. 260 ad p. 286, brevis illa pro amplo & copioso libri argumento, continens fere ad sexaginta animadversiones, plerasque breviores, quasdam longiores: veluti has: de Physiologiae Stoicae loco nondum à recentioribus ex-

pla-

planato, rem singularem quamque κοινῶς ποιὸν & ἰδίως ποιὸν esse, cujus observatio valet ad complures Veterum locos illustrandos, ac *decretum de paritate rerum*, quod hodiernis *Principium Indiscernibilium* dicitur, intelligendum. De Veteribus, qui Terram circum Solem moveri statuerunt. De illo placito οὐ τὰ σώματα τὰς ψυχὰς συνέχει, ἀλλ' αἱ ψυχαὶ τὰ σώματα· i. e: *non corpora animas continent, sed animae corpora.* Vnde acceperit Cicero illud Acad. II, 26: *Solem Mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam Terram.* De differentia ac potestate verborum εἶδεν, *vidit*, & οἶδεν, *novit*, *memoravit*, quorum confusio saepe interpretes in errorem induxit. De discrimine nominum Σύροι & Σύριοι. Strabonis VII, p. 454, B, καπνοβάτας, rectius legendum videri ἀγνοβιώτας. De initio Aerae Arsacidarum. Arsacis ad caesum Antiochum II verba apud Athenaeum X, p. 439, D, ἔσφηλέ σ' Ἀντίοχε θάρσος καὶ μέθη, versum Tragici prodere, talem fere, "Εσφηλε δ', Ἀντίοχε, σὲ θάρσος καὶ μέθη. Προαγωγὴ, *praecipuus apud Regem dignitatis gradus*, unde Stoicorum προηγμένα, *producta* Carthaginienses legationem ad Mithridatem mittentes, apud Athenaeum, V, p. 213, A, qui esse potuerint. Στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὅπλων Athenis. Ἀναδείξας ἑαυτὸν τύραννον.

In Plutarchi Vita Marcelli, initio, quod editur *Μάρκελλον*, legendum videri *Μάρτελλον*. In ejusdem Fab. Max. p. 185, C, pro *συνηθείᾳ* conjicitur *συνεχείᾳ*, *vehementia*. Quaestio Veterum, *an virtus doceri possit*. Stoicorum placitum, *mala esse, quia bona sint*. Apud Galenum de Dogm. Hippocrat. & Plat. IV, p. 281, *ἐὰν ἀπολέσθαι, τοῦτό μοι νῦν συμφέρει*, Jambicus constituitur poëtae ex Plutarcho Virt. Mor. p. 446, A: *Ἔα μ' ἀπολέσθαι, τοῦτο νῦν μοὶ συμφέρει* Verbum *κατηχεῖσθαι*, & *κατήχησις*, *institutio*, *disciplina*, Graecis usurpata. Apud eumdem Galenum de Dogm. Hippocrat. & Plat. V, p. 292, Cleanthis versus Jambici *ἀμοιβαῖοι* ita constituuntur, ut appareat colloquium inter *λογισμὸν* & *θυμόν*· quorum secundus & quartus corriguntur, tertius item corrigendus, & totus locus sic legendus est: Λ. *Τί ποτ' ἔσθ' ὅ, τι βούλει, θυμέ; τοῦτό μοι φράσον.* Θ. *Ἔχω, λογισμὲ, πᾶν δ' βούλομαι ποιεῖν.* Λ. *Βασιλικὸν οὖν γε; πλὴν ὅμως εἰπὸν πάλιν.* Θ. *Ὅσ' ἂν ἐπιθυμῶ, ταῦθ' ὅπως γενήσεται.* Quod autem Bakio in clausula subjecimus illud, *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, Quam tua te Fortuna sinet*: mox fortunam sibi non certe adversam expertus est; quae eum, favore Scholarcharum Gymnasii Leidensis, in munere Conrectoris, tamquam in gradu, ut speramus, & *ἐπιβάθρᾳ* ad altiora, constituit.

IV.

IV. *SPECIMEN Historico - Juridicum Inaugurale; de Hortensio Oratore, Ciceronis aemulo: quod - pro gradu doctoratus, summisque in Vtroque Iure honoribus ac privilegiis in Vniversitate Regia Hollandiae, rite & legitime consequendis, publico ac solemni examini submittit LVDOVICVS CASPARVS LVZAC, Lugduno Batavus, die XVI Junii, a. MDCCCX. Lugduni - Batavorum.* 4. *pagg.* 161.

Sequitur ut de Bakii amico & condiscipulo, in eodemque laudis genere socio, L. C. Luzacio, humanissimo adolescente, dicamus. Est hic filius Stephani Luzacii, J. V. D. viri omnibus bonis probati: L. C. Valckenarii, Literarum principis, ex filia nepos: avunculi sui Jani Valckenarii, Viri Clarissimi, exemplo & auctoritate ad elegantem Literarum & Jurisprudentiae rationem eruditus. Et elegantia quidem doctrinae continuo apparet in ipso delectu argumenti, tum vero deinceps ubique occurrit in ejus tractatione ac perscriptione. Ecquis autem est Ciceronis lector ac studiosus, quem non frequens Hortensii mentio sic advertat, ut plu-

ra etiam de eo cognoscere cupiat, & librum de hoc argumento docte diligenterque scriptum grato animo accipiat. Nam neque singulari scriptione id adhuc factum recordamur: & scriptores Historiae Literariae locum de Hortensio aut praeteriisse plerosque, aut paucos eum breviter attigisse novimus: in quibus sunt Glandorpius in Onomastico Romanae Historiae: Vossius De Historicis Latinis I, 11: Baylius in Dictionario: Funccius De Virili Aetate Latinae Linguae II, 1, 3: vel qui sparsim perstrinxerunt, veluti Vitae Ciceronianae scriptores, Fabricius Marcoduranus & Middletonus. Nos vero in hujus etiam, ut prioris, libri partibus recensendis, propter copiam & amplitudinem materiae, capitum titulis referendis defungimur; quorum commendatione studiosi doctrinae ad ipsius lectionem libri invitentur: *Sectio Prior*: §. I. *De gente Hortensia, & Q. Hortensii anno natali.* §. II—V, *Hortensius adolescens, Bello Sociali miles, Tribunus Militum.* §. VI, *Lex Cornelia de Magistratibus: Hortensius Quaestor.* §. VII, *Aedilis.* §. VIII, *C. Verris commodis ad ornandum Forum usus excusatur.* §. IX, *Resistit Legi Aureliae: Q. Opimius in jus vocatus.* §. X, *Hortensius Praetor à Cicerone laudatur: Consul designatus Verrem defendit.* §. XI, *Consul, caet.* §. XII, XIII, *Cretam provinciam cum*

belli administratione sortitus, recusavit, Romae mansit: Freinshemius refutatur. §. XIV, XV, *Rogationes A. Gabinii & C. Manilii, quibus se opposuerunt cum alii, tum Hortensius.* §. XVI, *Prior Conjuratio Catilinaria. Hortensius Torquati Consulis amicus.* §. XVII, *C. Cornelii Trib. Pl. audacia, contra quem Hortensius testimonium dicit.* §. XVIII, *Cicero Consul: Leges Agrariae a Rullo propositae: Tribuni Plebis in Hortensium infensi.* §. XIX, *C. Rabirius ab Hortensio & Cicerone defensus.* §. XX, *P. Sulla accusatus de altera conjuratione Catilinaria: Ciceronis & Hortensiii in eo discrimine conjunctio.* §. XXI, *Clodii facinus in violandis Bonae Deae Sacris; de eoque contentiones.* §. XXII, *absolutus Clodius, Hortensii ardor, lex Fufiana, Casauboni opinio, paululum infensior, refellitur.* §§. XXIII, XXIV, *Hortensius à Tunstalli calumnia liberatus.* §§. XXV, XXVI, *Hortensius a Cicerone in rebus publicis abalienatus propter hujus cum Cn. Pompejo conjunctionem.* §. XXVII, *L. Valerii Flacci accusatio. Hortensius & Cicero defensores.* § XXVIII, *P. Clodius, Tribunus Plebis, Ciceroni infestus Hortensii legatio ad Consules, ubi in defendendo Cicerone egregius & constans.* §. XXIX, *cum Catone, Arrio, aliisque Ciceroni liberi exsilii suasor.* §. XXX—XXXII, *ab acerbis Ciceronis*

querelis excusatur, §. XXXIII, *interpretes in Hortensium nimis injusti.* §. XXXIV, *Cicero redux: Clodii scelera*, *de iis contentiones in Senatu*, *Hortensii sententia, caet.* §. XXXV, *Hortensius Lentuli studiosissimus in caussa Regis Ptolemaei.* §. XXXVI, *Hortensius aliqua in caussa erga Ciceronem intemperans.* §. XXXVII, *P. Sextium defendit*, *Cicerone pro eodem perorante.* §. XXXVIII, *Cn. Pompeji & M. Licinii Crassi Consulum malae artes*, *legis sumptuariae rogationi Hortensius se opponit*, *nec frustra.* §. XXXIX, *Cato*, *Suffenas & Procilius*, *Tribb. Pl. accusati*, *hic condemnatus*, *Hortensio defendente*, *Cicero sese abstinuit.* §. XL, *Augurum institutio*, *Cicero Augur*, *studio praesertim Hortensii.* §. XLI, *Milonis judicium.* §. XLII, *Cicero Ciliciae Proconsul profecturus*, *Hortensio sua dat mandata. Hujus bima sententia.* §. XLIII, *M. Valerii Messalae ambitus accusationes. Hortensii defensio*, *eamque secutae contumeliae.* §. XIV, *Caussa Appii Claudii Hortensius animam agit.* §. XLV, *Hortensii felicitas per totam vitam à Cicerone memorata.* Sectio altera. *De Q. Hortensio Oratore Romano. Exordium. Cap.* I. *de Q. Hortensii ingenii dotibus*, *oratoria facultate*, *memoria*, *caet. & de ejus scriptis.* § I, II, *Quaedam de Jurisconsultis & caussarum patronis. Hortensius*

non

non Jurisconsultus §. III, *ejus memoria* §. IV, *In studiis ardor.* §. V, *Hortensius non Philosophus. Ciceronis liber Hortensius.* §. VI, *Hortensii diligentia in partiendo.* §. VII, *ejus actio, sive pronuntiatio: magis auditus quam lectus placuit.* §. VIII, *Cur adolescens magis floruerit quam senior, Hortensius. Caput* II. *De causis, quas egit Hortensius.* §. I, *earum numerus ingens; cum Cicerone aliisque patronis easdem saepe egit; perorandi locum plerique Ciceroni relinquebant.* §. II. *Caussae Africae, Regis Bithyniae, Cn. Pompeji Magni.* §. III, *P. Quintii.* §. IV, *Asconius Pedianus à Pighio correctus.* §. V, *Caussa Cn. Cornelii Dolabellae.* §. VI. *Alterius Cn. Corn. Dolabellae Canuleji.* §. VII, *Terentii Varronis.* §§. VIII—X, *Judicium C. Verris, & in eo Hortensii ars & studium.* §. XI, *Caussae C. Rabirii. L. Murenae.* §. XII, *P. Sullae, Varguneji.* §. XIII, *L. Valerii Flacci, & alterius Valerii.* §. XIV, *M. Scauri; Plancii, Procilii, Milonis, caet. Cap.* III. *De aemulatione Hortensium inter & Ciceronem.* Non dubitamus fore, ut hi tituli sponte cuilibet Ciceronis & omnino Literarum studioso arrideant, eumque ad librum legendum invitent; lecto autem libro, hi, qui judicare possunt, profiteantur, Historiae Romanae ac Literariae haud paucis partibus lucem factam, & loco ante vacanti nunc provisum esse.

V.

V. *DISSERTATIO Antiquario-Juridica, de Romanorum Ponderibus & Mensuris: quam pro gradu doctoratus summisque in Vtroque Iure honoribus & privilegiis in Vniversitate Regia Hollandiae rite & legitime consequendis, publico examini submittit* BERNARDVS VAN LAAR, *Harlemensis, die XII Maji, a.* MDCCCX. *Lugduni-Batavorum* 4. *pagg.* 126.

Neque praetereundus ex eodem studio Literarum ac sodalitio ad accuratam Juris scientiam profectus scriptor hujus speciminis: cujus argumentum, magis illud quidem cum corporum quam ingeniorum cognitione conjunctum, est tamen scitu necessarium magnique momenti, cum in omni diligente Antiquitatis ratione, tum in Jurisprudentia; ut haud temere scriptor libro suo, tesserae loco, hoc magni Cujacii dictum praescripserit: *Temere accedunt ad Juris disciplinam, quibus non bene nota est distributio assium.* Propositum autem sibi esse profitetur, de Ponderibus Mensurisque iis dicere, quorum in Jure sit mentio, ita ut & harum partes, & illae quarum ipsae sunt partes, explicentur,

tur, earumque forma & usus animadvertatur. Materia sane est ampla & late patens: quam ex scriptoribus tum veteribus, tum recentioribus, cum aliis, tum iis qui hoc argumentum dedita operâ tractarunt, studiose collegit, apte &, quoad ejus fieri potuit, perspicue descripsit; ut operae pretium fecerit, hoc loco denuo recensendo, priorumque interpretum erroribus subinde ostendendis. Hanc autem nos materiam propter easdem, quas in prioribus commemorandis libris secuti sumus, rationes, brevissime locorum titulis referendis designabimus. Sunt vero hi: *Caput* I, *de Ponderibus Romanorum.* §. 1, *de asse & libra, ejusdemque partibus.* §. 2, *de Ponderibus librâ majoribus. Caput* II, *de Romanorum Mensuris: Sectio* I, *de Liquidorum Mensuris:* §. 1, *de Acetabulo.* §. 2, *de Sextario.* §. 3, *de Congio.* §. 4, *de Amphora & Urnalibus Vasis.* §. 5, *de Cado.* §. 6, *de Culeo.* §. 7, *de Doliis. Sectio* I, *de Aridorum Mensuris.* §. 1, *de Modio.* §. 2, *de Medimno.* §. 3, *de Artaba. Sectio* III, *de Mensuris, quibus in agris metiendis & locorum intervallis definiendis usi sunt Romani.* §. 1, *de Pede & ejus partibus.* §. 2, *de Cubitu.* §. 3, *de Passu & Gradu.* §. 4, *de Orgyia.* §. 5, *de Decempeda, sive Pertica.* §. 6, *de Actu.* §. 7, *de Jugero, Centuria & Saltu.* §. 8, *de Stadio.* §. 9, *de Milliario.*

liario. Caput III, *de publica Ponderum & Menfurarum cura.* §. 1, *de Exagio, & quomodo curaverint Romani ut ubique justa pondera justaeque menfurae adesfent.* §. 2, *de Menforibus Publicis.* §. 3, *de eo, quod ille qui majoribus vel minoribus adhibitis ponderibus & menfuris damnum pasfus eft, poenae nomine petere posfit ab eo, qui eum in admetiendo deceperit, & falfis adhibendis ponderibus menfurisve ei damnum dederit.* §. 4, *de poena criminali eorum, qui falfa pondera vel menfuras habuere.* Atque vel his ex titulis, diligenter eruditeque tractatis, facile eft ad exiftimandum, quantum lucis & huic argumento, & multis veterum Auctorum locis per hanc fcriptionem allatum fit. Scriptor autem juvenis quandoquidem ad facra Themidis fibi quoque Mercurii cultum adfcivit, feque inftructâ tabernâ bibliopolam profesfus eft, itaque vetus inftitutum eruditorum librariorum typographorumque, veluti Manutiorum, Stephanorum, Commelinorum, aliorum, retulit; optamus, ut & ipfe res fuas bene gerat, Mercuriumque propitium experiatur, ejusque exemplum apud alios bibliopolas ad Graecas Latinasque Literas discendas magnopere valeat.

VI.

VI. *FREDERICI CREVZERI, Graecarum Latinarumque Literarum in Academia Heidelbergensi Professoris P. O. ORATIO, de Civitate Athenarum, omnis humanitatis parente: qua Literarum Graecarum cathedram in Academia Leidensi auspicaturus erat. Lugduni Batavorum: apud Van Laar & Herdingh. a.* DDCCCIX. 8. *pagg.* 66.

Creuzerum proficiscentem nos in superiore libro faustis persecuti sumus votis. Profecti exiit haec Oratio, quâ, si apud nos mansisset, Leidensem cathedram auspicaturus erat, docta, diserta, & erga nos benevola; ad cujus mentionem rursus nobis viri desiderium renovatur. Doctam dicimus, quod argumentum ejus in primis & doctum, & proposito accommodatum, & ex interiore doctrina explicitum est; ut appareat, quae fuerint inde ab antiquissimis temporibus Atheniensium ingenia & studia, qui animi & mores, quis artium Literarumque proventus, ut eorum civitas verissime omnis humanitatis parens & haberetur & nominaretur. Porro, disertam esse hanc Orationem, nemo eam legens, Latinitatis & eloquentiae peritus, dubitabit; siquidem stilus ac dictio habet puritatem, per-

perspicuitatem, & congruam argumento & temporis solemnitati gravitatem. Benevolentiae denique erga nos suavissimae frequens est declaratio, cum in praefatione, tum in ipsius Orationis exordio & epilogo. Caeterum ipsa *Oratio* continetur paginis quinquaginta: reliquae habent *Annotationem*, cujus materia constat testimoniis Scriptorum in primis veterum, ad confirmandos historicos Orationis locos necessariis & appositis: quorum ex copiâ & delectû ipsa, de qua diximus, excellens Creuzeri doctrina elucet.

VII. *Ausführliche Griechische Grammatik - caet.* i. e: *Grammatica Graeca suis partibus expleta & explicita, ab AVGVSTO MATTHIAE, Philosophiae Doctore, Directore Gymnasii & Bibliothecae Ducalis Altenburgensis, Socio Academiae Scientiarum Erfordiensis, Societatis Latinae Jenensis, & Societatis Moguntinae Scientiarum & Artium Sodali Honorario. Lipsiae. MDCCCVII, apud Siegfr. Lebr. Crusium.* 8. *pagg.* 975.

Quamquam hujus libri auctoritatem aliquoties citavimus in Supplemento ad alteram editionem Se-

Selectorum ex Historicis Graecis, & in Annotatione ad Platonis Phaedonem; tamen debemus ei uberiorem commemorationem, cum propter ipsius praestantiam, tum propter necessitudinem inscriptionis; qua nobis eum dicavit eruditissimus ejus scriptor, consuetudinis ac familiaritatis caussâ, quae nobis antè hos sedecim annos Amstelodami cum eo intercessit, quum, paedagogus ornatissimorum adolescentum Guilielmi & Danielis Willinkiorum fratrum, cum his in nostras scholas ventitaret. Qui quum suam in Graecis Literis facultatem jam per alia scripta doctis hominibus probasset; hoc libro idem officium praestare voluit Graecae Linguae studio, quod Latinae Schellerus in *Grammatica* sua praestiterat, qui item hoc Germanicum adjectivum addiderat: quod nos circumlocutione Latine reddidimus: siquidem illa, *amplus*, *copiosus*, *latus*, *longus*, *largus*, *fusus*, *uber*, *plenus*, *locuples*, *explanatus*, *enucleatus*, *suis numeris absolutus*, *perfectus*, alia; aut parum aut nimium significant; & hoc postremum majus etiam est quam id (*vollständig*), quod aliquando cognomen novâ editione se huic libro additurum sperat, ut in fine praefationis scripsit auctor: atque ipsum illud, quod in titulo posuimus, plus esse videtur, quam auctores voluerunt; ut fortasse addito aut subaudiendo, *quoad ejus fieri potuit*,

 tem-

temperandum fit. Hunc autem titulum, qui copiam, diligentiam, elaborationem, quantam fieri potuit, maximam profiteatur, in hunc Matthiae librum vere convenire, ita magis intelligent lectores nostri, si antea de ipsius Grammaticae notione, vi, fine, officio, formis, partibus, monuerimus. Ergo Graecum nomen *Grammatica*, universe quidem idem sonat quod Latinum *Literatura*, de quo supra diximus, omnemque Literarum scientiam complectitur. Haec quum ad aliquam Linguam adstricta fit, quae duobus modis addiscatur, arte & usu, ars ejus Linguae proprie dicta est *Grammatica*. Ejus duo sunt Capita: alterum *Elementare*: quod est de singulis literis, syllabis, quantitate, accentu, tum de vocabulis, partibus Orationis, Nominibus & Verbis, Articulis, Pronominibus, Adverbiis, Declinationibus, Conjugationibus, Participiis, Praepositionibus, Conjunctionibus, Interjectionibus: horum denique omnium formatione & etymologia. Alterum est Caput de *Syntaxi*, id est de Compositione seu Constructione partium orationis ad quamdam sententiam: quae ipsa pluribus continetur generibus. Est enim vel ligatae orationis, quae metrica, vel solutae, quae prosa dicitur. Porro, vel solam spectat puritatem ac perspicuitatem orationis, quae simpliciter dicitur *Syntaxis grammatica*: vel

vel simul cum puritate ac perspicuitate propositas sibi habet suavitatem ad delectandum & gravitatem ad commovendum, idque vel in prosa vel in ligata oratione; unde novae artes duae existunt *Rhetorica* & *Poëtica*. Hujus autem libri Syntaxis, recte finibus continetur Grammaticae: & tamen alterum tantum paginarum Capitis Elementaris, id est duos trientes totius libri, explet. Hunc enim auctor non tironibus ac novitiis; quippe quibus epitomen hinc factam parat, sed provectioribus destinavit iis, qui se ad Scriptores Graecos cum grammatica & critica diligentia legendos cognoscendosque dare volunt. Itaque utroque Capite complecti studuit, omnem summatim materiam, praecepta, observationes, cum doctissimorum in hoc genere hominum indagatione in lucem proditas: tum a se ipso iterata Scriptorum, qui ante Alexandrum Macedonem fuerunt, lectione collectas. Qua copia illud spectavit eruditissimus auctor, ut lectores suos apparatu & instrumento augeret, cum ad interpretandos veteres Scriptores, tum ad Graece scribendi exercitationem: quae exercitatio, quod ait auctor, recentiore aetate, tam frequente commendatione, ut discentibus utilis & doctis necessaria, celebrata est, ut supervacaneum sit de ejus laude quidquam addere. Quod nos auctori plane assentimur. Graece enim scri-

 bere

bere in puerilibus scholis publice, quondam institutum, paulatim in plerisque defecit; magistrorum cum errore, inutilem hanc exercitationem putantium, quod ad scribendos libros & communem eruditorum usum non Graeca, sed Latina frequentatur lingua: tum ignorantia, qui, quod ipsi nesciunt, discipulos docere nequeunt. Memini me puerum, sub paedagogo, Nepotis Vitas Graece vertere, adolescentem sponte Xenophontea è Graecis Latina & rursus è Latinis, seposito libro, Graeca fecisse. Postea ipse docens ad hanc exercitationem studiosissimum quemque discipulum adhortari & singulatim juvare solebam: nuperrime idem in schola factitare institui, non sine magno discentium fructu; qui sic in primis ad promptam accuratioremque Syntaxeos, Conjugationum, Declinationum, caeterarumque orationis partium, & Accentuum, cognitionem confirmantur. Quae omnia negligentius animadvertuntur ab iis, qui sola lectione Scriptorum contenti sunt; contra multo firmius percipiuntur ab iis, qui lectioni scriptionem adjungunt, qua singula quaeque Nomina & Verba eorumque partes & compositio sub acumen stili judiciique vocantur. Illud etiam in hac Grammatica probamus, quod in materia linguae Graecae certâ & propria versatur, eaque ad veterem à Grammaticis traditam rationem di-

ge-

geritur: nec è sententia Lennepii, viri caeteroquin eruditissimi, Aoristus secundus Activi, ad Imperfectum vetustioris formae redigitur, veluti ἔτυπον ad Imperfectum Verbi τύπω: aut Aoristus Primus Passivi ἐτύφθην à vetere & ignoto Verbo τύφθημι ducitur: & alia Tempora ab aliis diversis vetustioribus primitivis formis repetuntur. Quae ratio nil habet, quo se nobis commendet. Neque enim aut discendi viam faciliorem reddit, aut per se aliquam adfert verisimilitudinem. Nam & primitivae formae sic in quovis Verbo multiplicatae innumerabiles fiant; quas paucas fuisse credibile est: & multo rationi magis consentaneum est, Modorum Temporumque formationem talem exstitisse qualem adhuc omnes Grammatici arbitrati sunt, Praesentis Indicativi Activi v. c. τύπτω per terminationes & augmenta variando: quae est eadem caussa Latinae & aliarum linguarum: & item flexionis Nominum per terminationes; nisi forte & Casus quosque ab aliis Nominibus, exstitisse contendamus. At vero tuemur illam ab Hemsterhusio ostensam, à Valckenario illustratam Analogiam, cujus Specimen editum est in Lennepiano libro, quâ simplicissima Verba constituuntur, ut origines caeterorum ex his producendis augendisque formatorum: hanc igitur tuemur ut veram &, undecumque tandem ortam,

 cer-

certe constante Linguae observatione confirmatam: ut fructuosissimam denique ad plurima in Graecis libris desiderata vocabula restituenda: & vero, ad plurium etiam, quamvis servatorum, tamen minus intellectorum veram significationem definiendam. Sed est item quidam ejus abusus: de quo diximus in commemoratione libri Lennepiani, B. Crit. Vol III, Part. II. p. 123. Nos hujus Analogiae in hac Grammaticâ aliquanto maiorem rationem habendam fuisse existimamus, certe hactenus, ut ei singulare Caput sub nomine Etymologiae daretur: quamquam ejus partes quasdam attigit & scienter explicuit Scriptor in Capite *de Verbis Defectivis.* Hoc etiam caute egit, ut locos confirmandis praeceptis ex iis, qui ante Alexandrum fuerunt, Scriptoribus, sumeret. Tametsi enim post Alexandrum Graeca lingua non tam cito corruptelam suscepit, quam Latina post Saeculum primum nostraé Aerae: & Menander, Philemon, Diphilus, Apollodorus, Philippides, poëtae Novae Comoediae, in classicis auctoribus habiti lectique sunt ab Aristarcho: & Scriptores ad Justiniani aetatem usque, exceptis Christianis doctoribus, Graecae puritati Atticaeque elegantiae studuerunt, quo tempore Latinae puritas & elegantia linguae dudum evanuerat; ut certe Apollodorus, Dionysius Halicarnassensis, Dio

Chry-

Chryfoftomus, Ariftides, Lucianus, & haud fcio an Themiftius, Julianus, Libanius, Synefius, tamquam teftes purae dictionis rite laudari posfint; pertinuit tamen ad auctoritatem hujus Grammaticae in teftimoniis adferendis fe intra fines primae illius aetatis plerumque continuisfe. Dicimus *plerumque*; nam eft etiam ubi aliquid ex hac feveritate legis remittitur: veluti p. 153 citantur. Polybius, Plutarchus, & Herodes Atticus: quorum duo priores, ne voluerunt quidem elegantiae ftuduisfe videri. Ultimo loco accedit *Appendix de Quantitate* & *Accentu*, brevis quidem fed diligens & perfpicua: in qua illud etiam recte monetur & appofito diagrammate mufico oftenditur, Accentum pronunciationi melodiam adferre fyllabis variandis acutis, gravibus, circumflexis. Ex toto deinceps opere titulos capitum referre quum infinitum nec opus fit, fententiam paucis complectamur. Igitur in priore volumine omnis materia elementaris, Nomina, Verba, caeterae orationis partes, per Declinationum, Conjugationum, Dialectorum, variam formam, dilucide explicatur, per tabulas etiam oculis quafi fubjicitur: in altero volumine, eadem materia, eodem ordine, recenfetur eo confilio ac modo, ut ratio oftendatur, qua ad fententiae declarationem conftruatur & componatur: itaque non folum ordinaria & commu-

 nis,

nis, fed etiam exquifitior proprietas Compofitionis, quos vulgo *idiotismos* vocant, ellipfes, pleonasmi, anacoluthiae, particulae, aliaeque formae explanentur: in utraque autem tanta fit & praeceptorum diligentia ac fubtilitas, & vero exemplorum ex optimis Scriptoribus collectorum copia, ubertas, perfpicuitas, &, quod addere non dubitamus, fuavitas, quantam in alia Graecae linguae Grammatica, quod quidem fciamus, nos non deprehenderimus.

VIII. *DISPVTATIO Philologica, de hiftoricis Polybii laudibus, quam Q. D. B. V. Praefide V. Cl. PHILIPPO GVILIELMO VAN HEVSDE Hift. Antiq. Eloq. & Ling. Gr. Profesfore, ad publicam disceptationem proponit, auctor ANTONIVS VAN GOVDOEVER, Rheno-Trajectinus, die VI Martii, a. MDCCCIX. Trajecti ad Rhenum.* 8. *pagg.* 128.

Quam nos antea percepimus voluptatem de Heusdii noftri Specimine Platonico referentes, eamdem nunc rurfus, atque adeo majorem etiam, per-

percipimus, de hoc & proximo libro dicere ingredientes. Fuit enim prior illa, quamvis magna, voluptas ex uno Heusdio: haec & ex ipso, & ex ejus discipulis, venit. Et vero necessitudo inter magistros ac discipulos, pietati parentum & natorum, per ipsam naturam similis quodammodo & cognata est. Vt enim boni parentes bonos natos numquam quidem non diligunt, sed tunc novo affectu prosequuntur, quum per eos bonis nepotibus aucti fuerint: sic fidelibus magistris probati discipuli cariores etiam fiunt, si disciplinam suam ab iis propagari, probatosque ex ea alumnos produci viderint. Sed haec hactenus: veniamus ad propositos libros: eorumque item materiam & amplitudinem referendis partium titulis uno in conspectu lectoribus nostris ponamus, tum rationem explicationis verbo attingamus. *Caput Primum: de opportunitatibus, quas habuit Polybius, ad res, de quibus scripsit, bene cognoscendas.* §. I, *de tempore, quo vixit.* §. II, *de muneribus, quibus functus est.* §. III, *de viris in rebus publicis versatis, quibuscum consuetudinem habuit.* §. IV, *de peregrinationibus ejus.* §. V, *de historica ejus fide. Caput Secundum, de acumine & judicio, quo valuit Polybius ad rerum caussas investigandas, ipsasque res perspiciendas.* §. I, *de Polybii solertia in rerum caus-*

causfis indagandis. §. II, *de interiore notitia, qua valuit, cum naturae humanae, tum gentium, tum etiam fingulorum hominum.* §. III, *de politica ejus prudentia. Caput Tertium, de via & ratione, qua Hiftoriam confcripfit.* §. I, *de confilio, quod in confcribenda Hiftoria fibi propofitum habuit.* §. II, *de legibus, quas in confcribenda Hiftoria fequendas fibi duxit* §. III, *de orationis forma & ratione, qua ufus eft.* Fuit fane magnus auctor Polybius, gravisfimus, dignisfimus etiam cujus hiftorica laus proprio libello feparatim defcripta exftaret. Quae defcriptio fane ab hujus Disputationis auctore docte ac diligenter confecta eft, ut argumenta illorum titulorum appofitis teftimoniis & exemplis ex Polybiano opere fumtis confirmentur: ipfa autem fcriptio cum jucunditate hiftorico argumento propriâ, adferat congruam eidem orationis Latinae bonitatem, perfpicuitatem, facilitatem. Quo magis & Scriptori interea delatam praefecturam Gymnafii Zwollani, & Gymnafio talem Rectorem gratulamur.

IX.

IX. *DIATRIBE in Politices Platonicae principia, quam, Q. D. B. V. Praeside V. Cl. PHILIPPO GVILIELMO VAN HEVSDE, Hist. Antiqu. Eloqu. & Ling. Gr. Professore, ad publicam disceptationem proponit auctor IOHANNES LVDOVICVS GVILIELMVS DE GEER Rheno-Trajectinus die XIV Februarii. a. MDCCCX.* 8. *pagg.* 187.

Doctrinae laudem quidem hic liber similem habet ac prior, genus autem diversum, historico genere minus frequens, philosophum, ex hujus adeo parte difficiliore, quae est de principiis: quam tamen Scriptor hic ita tractavit, ut appareat, eum ex Platonis lectione non modo ad materiae cognitionem, sed etiam ad ejus digerendae explicandaeque rationem Socraticam profecisse, quae & obscuris rebus lucem, & horridis nitorem, & asperis suavitatem conciliat. Hoc vero argumentum Philosophiae Platonicae breviter ac summatim attigerunt ex Veteribus qui supersunt Cicero Acad. I, 4, sequ. Albinus, Appulejus, Proclus: ex recentioribus Scripto-

Scriptores de Hiſtoria Philoſophiae, Bruckerus, quique ab eo citantur T. I, p. 726, & alii: tum novisſime eruditisſimus vir Carolus Morgenſternius, tunc Philoſophiae Doctor Halenſis, nunc Profesſor celeberrimus Univerſitatis Livonico-Rusſicae Dorpathienſis, proprio libro ſeparatim perſcripſit, cui titulum fecit — *de Platonis Republica Commentationes tres:* I, *De propoſito atque argumento operis disquiſitio.* II, *Doctrinae moralis Platonicae ex eodem potisſimum opere nova adumbratio.* III, *Civitatis ex mente Platonis perfectae deſcriptio atque examen. Halis Saxonum* MDCCXCIV. 8. *pagg.* 314. Cui libro quum dudum in Bibliotheca Critica, poſtea in Philomathia, mentionem deſtinasſemus, eam adhuc excluſerunt cum temporis locique anguſtiae, tum aliorum librorum ſe nobis ingerentium quaſi flagitatio. Caeterum libro hoc, quamvis eruditisſimo, auctor celeberrimus operam Heusdiani discipuli minime ſupervacaneam reddidit. Nam intereſt inter utriusque & propoſitum, ut vel tituli declarant: & viam tractandique rationem, ut legentibus apparebit. Hujus autem, de quo nunc agere inſtituimus, haec eſt materiae diſtributio, haec partium inſcriptio ac recenſio. *Caput Primum: de perverſa, cum opinandi in rebus philoſophicis, tum agendi in rebus politicis ratione, quae Platonis*

tonis aetate in Graeciâ, maxime Athenis, obtinebat. Sectio Prior: Adumbratur ex Platonis sententiâ, perversa philosophandi ratio, quae ipsius aetate in Graeciâ, maxime Athenis, habebatur; §. 1, philosophandi ac docendi ratio Sophistarum: §. 2, Sophistarum opiniones de vero & falso: §. 3, Sophistarum opiniones de Diis, de virtute ac justitia: §. 4, Sophistarum opiniones de vitâ beatâ. Sectio Altera: Adumbratur, ex Platonis sententiâ, dubia ac fluctuans rerum civilium ratio, quae per populi temeritatem & demagogorum libidinem, ipsius aetate, Athenis obtinebat. §. 1, Corrupta est prorsus, post bella Persica, Reipublicae Atheniensis conditio. §. 2, corruptae reipublicae Atheniensis causae fuerunt gravissimae, rei nauticae, mercaturae & divitiarum studia. §. 3, Sic omnia exstiterunt in republica popularis reginiinis vitia. §. 4, Noxia Sophistarum & Oratorum in populum Atheniensem efficacia. §. 5, corrupta puerorum educatione, nulla supererat emendationis spes. §. 6. in tam perturbatâ rerum conditione, irrita erant & contemnebantur prudentum Virorum & philosophorum monita. Caput Secundum: de doctrinae Platonicae cum moralis, tum politicae, principiis & fundamentis. Sectio prior: quaeritur de viâ, quam inivit Plato, ut opinandi illam dubitandique suo tempore

pore licentiam ac temeritatem efficaciter impugnaret, ac certum aliquid ac firmum inveniret. Ducuntur ex hac disquisitione doctrinae Platonicae moralis principia: §. 1, de viâ, qua Plato ad doctrinae suae moralis principia pervenit. §. 2, Ex idearum doctrinâ veritatis caussam adversus Sophistas propugnavit Plato. §. 3, Ex idearum doctrinâ virtutis caussam adversus Sophistas propugnavit Plato. §. 4, tres esse animi humani partes, rationem, iram, cupiditatem. §. 5, hominis perfectionem quatuor contineri virtutibus, sapientiâ, fortitudine, temperantiâ, justitiâ. §. 6, nullam esse hominis felicitatem, nisi quae cum virtute sit conjuncta. Sectio altera. Quaeritur de viâ, quam inivit Plato, ut e dubiâ & fluctuanti rerum publicarum suo tempore conditione, ad firmam & beatam rationem civitatis adduceret. Ducuntur ex hac disquisitione Platonicae Politicae principia. § 1, de viâ, quâ Plato ad doctrinae suae politicae principia pervenit. §. 2, moralis doctrinae principiis Politicam suam superstruxit Plato. §. 3, ex ipsa hominis naturâ & indole societatem repetendam esse civilem. §. 4, civitatem, unius instar hominis, simplicem esse & unam debere: sic demum eam stabilem & immortalem futuram. §. 5, civium ad civitatem rationem per patriae amorem eamdem esse debere, ac membro-

brorum ad corpus. § *6, ut homini mentem, ita civitati praeesse artem civilem debere; hujus autem artis primarium esse propositum, ut civitas, tamquam homo, ad virtutem instituatur.* §. *7, ut tres sint animi humani partes, mens, ira, cupiditas, sic totidem esse in civitate civium genera, regale, militare, populare.* §. *8, prouti hominis, sic etiam civitatis, perfectionem quatuor contineri virtutibus, sapientiâ, fortitudine, temperantiâ, justitiâ;* §. *9, nullam esse, ut hominis, sic civitatis felicitatem, nisi quae cum virtute conjuncta sit. Caput Tertium. De quibusdam Politices Platonicae paradoxis. Sectio prior. E Politices Platonicae principiis paradoxa explicantur, quae ad civitatis regimen referuntur.* § *1, imperantes esse philosophos oportere.* §. *2, imperantes non constringendos esse legibus.* §. *3, exponitur, quare in libris de Legibus ab his placitis recesserit Plato. Sectio altera. E Politices Platonicae principiis paradoxa explicantur, quae ad bonorum & foeminarum in civitate rationem referuntur.* § *1, bona esse communia oportere.* §. *2, foeminas item communes esse, ac civilia gerere munera oportere.* §. *3, exponitur, quare in libris de Legibus ab his etiam placitis recesserit Plato.* Ex hac serie existimare licet de ubertate materiae: cui accommodata est ejus explicatio, perspicuitate,

tate, diligentia, doctrina, testimoniorum firmitate, quae auctoritatem eo majorem habent, quod, ut par erat, è solo fere Platone petita sunt: quem juvenis Scriptor ita cognitum habet ut in eo quasi habitare videatur. Est autem hujus argumenti ejusque tractationis magnum momentum ad cognitionem Historiae, cum rerum civilium Graecarum, in primis Atticarum & ipsius Platonis: tum adversantium Philosophis Sophistarum & Oratorum: tum omnino Philosophiae, maxime Moralis: de cujus apud Graecos origine nondum satis explicita est quaestio. Nam quod vulgo fertur, Platonem Philosophiae partem Moralem à Socrate sumsisse, & ipsum Socratem eam primum docuisse, habet hoc nonnihil temeritatis; siquidem jam ante Socratem Pythagorei illam partem ad quamdam rationem (systema) redegerant, eosque in hac, ut in reliquis Philosophiae partibus, frequens secutus est Plato; ut ex illorum reliquiis apud Stobaeum servatis, eorumque cum Platone comparatione, intelligitur. Et Socrates solam Ethicae partem παραινετικὴν, quae est de Officiis, tractavit; quum Plato alteram etiam partem, δογματικὴν, quae est de Principiis, à Pythagoreis acceptam tradiderit: quae postea ab Aristotele, denique à Stoicis amplificata & constituta est. Habet vero etiam hic liber in Notis

cul-

cuivis paginae ſubjectis, non modo ſignificationem locorum ex Auctoribus citatorum, ſed etiam animadverſiones illuſtrando Platoni ejusque ſcripturae emendandae; ut ſperemus, Scriptorem, in hoc ſtudio progredientem, idoneum aliquando ſocium & adjutorem edendi Platonis, Heusdio magiſtro, futurum.

X. *DISPVTATIO Iuridico-Literaria de M. TVLLII CICERONIS Oratione pro Aulo Cluentio Avito, quam, Q. D. B. V. praeſide HENR. WILH. TYDEMAN. V. Cl. Iur. Vtr. Doct. & in inclyta Friſiorum Academia, quae eſt Franequerae, Juris Romani & Hodierni Profesſore Ordinario, ad publicam disceptationem proponit CORNELIVS IACOBVS VAN ASSEN, Harlinga-Friſius, Auctor, d. XII Octobris a. MDCCCIX.* 8. *pagg.* 164.

Duo ſunt officia ſtudioſi juvenis, progresſuum ſuorum ſpecimen edituri: primum omnium, ut habeat veros progresſus, eosque perſpicue explicet, atque adeo hoc ipſum, quod vult, prae-

 ſtet,

fiet, *specimen*, quo ipsius progressus, *specten-tur*: alterum, ut argumentum deligat hominum doctorum cognitione dignum, quo tractando ipse discat, quodque nondum ab aliis ita pertractatum sit, ut nullam porro novitatis partem gratiamque habeat. Sunt vero multa argumentorum genera. Nam aut cujusdam disciplinae vel caput, vel singularis quaestio, vel universa ratio, proponitur: aut principis alicujus Scriptoris res, doctrina, locus, liberve tractantur: aut perditi Auctoris memoria & reliquiae colliguntur: & alia multa sunt genera, quae recensere longum fit. Quae quum omnia ejusmodi esse possint, ut progressum scientiae adferant tractanti; tamen aliud alio, & ad aliud genus, magis valet. Veluti, qui Ciceronianum argumentum optavit, simul provinciam suscepit totius Ciceronis legendi, unde ad doctrinae copiam & scribendi facultatem proficiat; & qui perditi Auctoris memoriam & reliquias illustrandas sibi delegit, is continuo necessitatem sibi imposuit omnes & veterum & recentiorum libros evolvendi & legendi, in quibus aliquid idoneum suo proposito exstare putet; qua ex opera recte instituta nascitur cognitio prompta & parata universae Historiae Literarum, ejusdemque locus adhuc vacans opere confecto expletur. Neque vero ita sunt disjuncta genera, ut alterum alterius

fructu

fructu carere necesse sit; siquidem & in Ciceronianâ commentatione Historiae Literarum cognitionem; & in perditi materiâ Auctoris meditandâ scribendi facultatem, & in omni alio argumento utrumque consectari licet. Sed plurimum ad eventus diversitatem, in utramque partem, valet diversitas ingeniorum; unde saepe videmus in similibus argumentis dissimilem operam poni: alios de rebus obscuris dilucide, de tenuibus copiose, de horridis suaviter, de veteribus nove, scribere: alios contra. Iam hujus Disputationis scriptorem utrique edendi speciminis officio satisfecisse censemus. Nam & ostendit se progressus habere veros: & eos non solum perspicue, sed etiam docte explicuit: &, clarissimi Praesidis sui exemplo, Iurisprudentiae studio cognitionem elegantiorum Literarum adjunxit: & auctoritati ejusdem viri obsecutus argumentum sibi sumsit Ciceronianum, dignum notitia doctorum hominum, nec dum satis explicitum. Est enim Oratio pro Cluentio una in primis, ex qua oratoris facultas admirabilis eluceat, qua is in caussâ difficillimâ omnia sibi adversa solerter expedivit, & in adversarium convertit. Sed est eadem legentibus hodieque ad intelligendum minus facilis & expedita; quia continetur rerum, personarum, factorumque multiplici varietate, & longâ mul-

tosque per annos continuatâ serie scelerum ab adversariis commissorum, quorum narrationi defensio Cluentii implicatur. Et, ut editores Ciceronis, Manutius, Victorius, Lambinus, Gruterus, Graevius, Ernestus, alii, verba & scripturam curaverint; qui hanc Orationem separatim illustraverit, aut qui ei uberiorem rerum interpretationem impertiverit, scimus neminem praeter Franciscum Antonium Sylvium Ambianum, & Franciscum Luschum. Quorum commentariorum hic rhetoricus est, ille autem grammaticus, ideoque repetitus à Graevio in Notis huic Orationi subjectis: uterque vero exstat in Enarrationibus Orationum Ciceronis apud Tornaesium Lugduni editis fol. a. MDLIV. Sed omnis adhuc & emendatorum & interpretum opera, quamvis egregia, ejusmodi fuit, ut multa posterorum industriae agenda relinquerent. Igitur bene meruit de Literis scriptor hujus Disputationis, qui locos à prioribus illis aut praetermissos aut levius tactos haud paucos opportune animadvertit, & ex Antiquitate & Iurisprudentia Romana illustravit. Quod universe nobis monuisse sufficit; quando singularia exempla promere longius est, quam pro institutae hujus commemorationis finibus. Caeterum scriptor juvenis, editâ ac disceptata hac Disputatione Franequerae, Leidam venit, nostros etiam Ante-

tecesfores & Profesfores auditurus. Quo in ftudio quum jam alterum annum cum laude verfaretur, fibique Aefchinem Oratorem delegisfet tractandum, cum aliis Oratoribus & Scriptoribus antiquis comparandum, & ad editionem inftruendum; novisfima civilis noftri ftatus commutatio, eum impulit ut Hagam abiret, & caufarum patrocinio operam navare inftitueret. Quae migratio, ut & rebus ejus profit, nec ftudiis obfit, optamus.

XI. *GVLIELMI IOANNIS ZILLESEN ORATIO de accurata Linguae Graecae Latinaeque disciplina ad formanda puerorum ingenia unâ accommodatisfima, publice habita Arnhemiae d. XXVI. Februarii a. MDCCCX, quum Scholarum Rectoris munus folemni ritu aufpicaretur. Arnhemiae. 8. pagg.* 37.

Si dicamus hanc esfe Orationem Latinam, multis videamur nil dicere, nifi quod ex titulo libri fponte appareat: & tamen plus dicimus, & Scriptori haud vulgarem laudem tribuimus; fiquidem vulgo feruntur Orationes Latinae, quae neque Orationes, neque Latinae, fint. Quod

 hu-

hujusmodi est negotium. Nempe oratorium & omnino eloquentiae opus est Oratio: cujus officium cernitur in eo, ut de argumento audientium cognitione digno dicatur perspicue ad intelligendum, suaviter ad delectandum, graviter ad commovendum: tum vero accedat oportet, immo vero jam antea adsit, & illi officio tamquam fundamentum subsit, sermonis linguaeque puritas, debita illa & necesſaria, ut in omni scriptione, ita magis etiam in Oratione; ne quid orator adferat verbi, dicti, constructionis, alieni ab usu & ratione linguae, qua utitur, quod audientium aures sensusve offendat, effectuique eloquentiae obsit: quae puritas in Latinâ linguâ dicitur *Latinitas*, in Graeca *Hellenismus*: contraria ei vitia, *barbarismus* & *soloecismus*. Deinde in argumentorum delectu vulgo laboratur. Orationes Latinae fere habentur à publice constitutis Doctoribus, Disciplinarum, & Literarum: & habentur vel auspicandis docendi muneribus, vel paucis aliis in caussis solemnibus, sive ordinariis, sive extraordinariis. Horum plerisque difficile est aliunde argumentum sumere, quam de sua arte. Et licet in suâ ipse arte, quod ait Cicero, nemo non disertus esse possit, tamen aliud est disertum, aliud eloquentem esse: ab illo non nisi puritas & perspicuitas exspectatur, & id quod opus adfert,

non

non Oratio, sed disputatio aut acroasis: ab hoc etiam suavitas & gravitas postulatur: quam postulare ab aliis, quam Literarum & Eloquentiae Doctoribus, iniquum sit: nisi si forte illi alii sponte provinciam dicendi ambierint. Propositae autem hujus Orationis argumentum, quamvis saepe ab aliis tractatum aut adfectum, ab hoc Scriptore sic expositum & ornatum est, ut novum videri possit. Est enim materia, quae *decies repetita placebit*, si opportuno tempore, loco, auditorio, repetatur à viro, qui Eloquentiae vim animo conceperit, Veterum lectione linguae scientiam aluerit, Literarum honestatisque amore, quo ipse ardet, auditores incendere studeat: hic quodvis argumentum, decies etiam saepiusque repetitum, suo ingenio versans, suo ex pectore sic effundet, ut ad hujus ingenii pectorisque indolem formatum, propriam nativamque novitatem, quam vulgo *originalitatem* vocant, inde referat. Quae est laus propositae hujus Orationis. Et quod Veteres docuerunt, Oratorem, ut sapientem & artificem, non modo suam artem tenere, sed etiam ejus tractandae tempus scire, videtur Scriptor memor hujus praecepti fuisse, qui brevem fecerit Orationem: quae magna est, eaque haud frequens, dos ad animos auditorum tenendos. Nunc multi in dicendo minus exercitati, rationem temporis du-

cere nesciunt: ad scribendum accedentes copiam materiae quaerunt, quasi dubitantes se tantam inventuros quae Orationis magnitudinem expleat: materia cogitantibus adfluente, rursus ejus modum ac delectum facere nesciunt, omniaque auditoribus apponunt: quod dum faciunt, eos per duas horas & amplius obtundunt, & ab omni in posterum audiendi officio absterrent. Zillesenius autem dicendi cum his, tum caeteris conditionibus ita satisfecit, ut se Latinitatis & perspicuitatis compotem, & suavitatis gravitatisque minime expertem probaverit. Itaque elegantis ingenii doctrinaeque virum, & bonorum proventu discipulorum spectatum, *gaudere & bene rem gerere* optamus

XII. *FRIDER. IAC. BASTII, Serenissimo Magno-Duci Hassiaco à Consiliis in Legatione quae Parisiis est, Ordinis Bene-Merentium Hassiaci Equitis, Bibliothecae Aulicae Darmstadiensi Praefecti designati, Instituto Imperiali Francico Epistolarum commercii causa adscripti,* EPISTOLA CRITICA *ad Virum Clarissimum Ioann. Franciscum Bois-*

Boisſonade, *ſuper* *ANTONINO LIBERALI*, *PARTHENIO*, *ARISTAENETO*. *Cum Auctoris emendationibus & Additamentis manuſcriptis è lingua Gallica in Latinam verſa*, *à CAROLO ALBERTO WIEDEBVRG*, *Artis Medicae cultore*, *Inſtituti Philologico-Paedagogici in Academia Helmſtadienſi Collega*. *Cum tabula aeri inciſa Lipſiae MDCCCIX*, *in libraria Weidmannia* 8. *pagg*. 298.

APPENDIX ad FRIDER. IAC. BASTII EPISTOLAM CRITICAM. *Partim Latine vertit*, *cumque ſuis Indicibus & Notis edidit GODEFR. HENRICVS SCHAEFER*. *Lipſiae MDCCCIX*, *in libraria Weidmannia*. 8. *pagg*. 64.

De hoc libro primum Francice ſcripto expoſuimus Bibliothecae Criticae Parte Vndecima. Qui quum ea esſet doctrinae praeſtantia, ut nemini non Graecarum Literarum ſtudioſo cognitus esſe deberet; exterique Latinam ejus editionem

desiderarent, Bastius convertendi provinciam Wiedeburgio mandavit: cui sane hujus benefacti habenda est gratia. Conversum librarii sic edere festinarunt, ut Bastii studium aliquid mutare & addere volentis praeverterent: isque illam appendicem Schaefero vulgandam committeret, viro Graecae linguae peritissimo, luculentiore statione, & omnino meliore fortuna, quam qua adhuc usus est, dignissimo. Magnam autem novarum animadversionum accessionem factam esse Bastii Epistolae vel diversus in utraque editione paginarum numerus arguit, qui in priore est 214, in hac 289 & 64. De harum materia ac praestantia suspicari licet è similitudine prioris editionis: quae in eodem genere locupletata est cum acutissimis Graecorum Scriptorum correctionibus, tum grammaticis observationibus partium orationis & compositionis, elegantiorum exquisitiorumque dictionum constructionumque docta animadversione, locorum corruptorum cum codicibus scriptis collatione, mentione Auctorum nondum editorum in bibliotheca Parisina servatorum, locorumque ex iis depromtorum prolatione. Ejusdem eruditissimi Bastii mox aliud exstabit munus ornandis locupletandisque Graecis Literis novâ editione Gregorii Corinthi de Dialectis: de qua sic ad nos scripsit in epistola, cum illis libris dono missis, data superiore

men-

menſe Februario: *Ego, ſocio Schaefero, novam editionem para Gregorii Corinthi Koeniani: & ſperamus Batavos non inique laturos egregium illum Koenii commentarium à nobis edendo iterari. Erit omnino grande volumen. Habeo nunc in manibus plagulam Y, in qua eſt finis capitis de Dialecto Doricâ. Quam primum exemplarium deſcriptio abſoluta erit, tuum tibi deſtinatum ad te mittetur. Jam te praemoneo, ut attendas ad tabulam palaeographicam quatuor foliorum, quam exemplari adjectam reperies. Quod operae meae ſpecimen ſi tibi probavero, non magnopere dubitem illud, quod mihi à Legationis negotio ſupererit, otium in conficienda palaeographia Graecorum codicum ſcriptorum ponere: quam mihi provinciam Villoiſonus noſter ὁ μακαρίτης reliquit, ſaepius ille ad eam ſuſcipiendam hortatus.* Et nos idem cenſemus quod Villoiſonus, Baſtiumque, ut unum omnium huic operi idoneum, ad id ſuſcipiendum hortamur.

XIII. Neque vero praetereundus nobis eſt Gailius, vir Graece doctisſimus, qui has Literas Pariſiis docendo, ſcribendo, acerrimo ſtudio, multis etiam libris ſui ipſius ſumtu edendis, frequentat. Quo magis aequum eſt, nos ejus operam & laborem grato animo interpretari Illorum autem librorum quum complures ipſius liberalitate ad nos pervenerint, caeteros poſtea ver-

verbo memorabimus; postremum & praecipuum, quo Thucydideum opus continetur, nunc spectemus: & primo ejus titulum apponamus, unde consilium & ratio hujus editionis jam partim intelligitur: *Histoire Grecque de THVCYDIDE, accompagnée de la version latine, de variantes de* 13 *manuscrits de la Bibliothèque Impériale, d'Observations historiques, littéraires & critiques, de specimen de ces manuscrits, de cartes géographiques & d'estampes: & dediée à S. M. L'Empereur de toutes les Russies, par J. B. GAIL Professeur de Littérature Grecque au Collége Impérial de France, de l'Académie Royale des Sciences de Gottingue, des Académies de Marseille, Nancy, &c. à Paris, chez Gail Neveu au Collége de France.* 8 & 4. 1807. Duo sunt hujus editionis modi: alter formâ, quae dicitur *quarta*, nitidiore charta, amplioribus marginibus, tabulis chalcographicae picturae locupletata: altera his carens ornamentis, ad legendi usum comparata, ideoque *classica* dicta, formae *octavae*: utraque decem voluminibus descripta, quorum octo priora singula singulos Thucydidis libros continent Graecos & Latinos deinceps adversis paginis sub eumdem conspectum positos, cum variis lectionibus infima parte cujusque paginae subjectis. Quae lectionis varietas quum vel sola insignem huic

edi-

editioni dotem commendationemque adferat, quippe subinde orationis facilitati & concinnitati restituendae idonea; accedunt etiam duo volumina Annotationis, Tomi III & IV titulo insignita, & continuandis duobus Tomis antecedentibus, I & II, quibus interpretatio Francica Thucydidis à Gailio facta continetur, inservientia, seque ipsa profitentia esse *Notas Supplementi caussa additas duobus voluminibus criticarum disquisitionum, tabularum geographicarum, & picturarum chalcographicarum.* Quae duo volumina quum nos non viderimus, fortasse nondum edita sint: ut item varietatem lectionis ex quatuor codicibus adhuc exspectamus; si quidem ex tredecim codicibus, quos titulus profitetur, non nisi novem citatos reperimus. Sed hoc cujusmodi sit, aliis judicandum relinquimus. Illud omnibus Thucydidem accurata diligentia lecturis suademus, ut caeteris editionibus hanc Gailianam adhibeant; multae utilitatis ad locos difficiles expediendos futuram. Et quandoquidem hujus viri, infatigabilis assiduitas & industria eo spectat, ut Literarum Graecarum studium apud cives suos frequentetur; fecit etiam Thucydidis exempla *in usum Scholarum*, mere Graeca, duobus voluminibus comprehensa: & de Herodoto Graece edendo cogitat. Et ut plenius etiam intelligatur, quam sit laboriosus

&

& impiger in hoc genere vir, referemus Latine Indicem Francicum operum ejus, praepositum duobus voluminibus Annotationis: *Opera Classica J. B. Gailii: Tentamen de Terminationibus Graecis, Latinis, Francicis* I. vol. 8. *Homerus Graece, Francice, Latine, cum Clave Homerica* VII vol. 12. Clavis Homerica separatim quoque venditur. *Ilias mere Graeca.* 4. *Excerpta Homerica, sive Delectus pulcerrimorum locorum Iliadis & Odysseae, Graece & Latine. Eadem, mere Graece.* Notae elementares in haec Excerpta exstant in Clavi Homerica. *Cursus Graecus*, i. e. series pensorum ac librorum instituendis Graecis Literis destinatorum, *cum versione interlineari*, quae dicitur, i. e. supra Graecum quodque vocabulum, posito Latino & Francico vocabulo, *duobus voluminibus, (octo partibus) altero metrico, altero Prosae orationis. Isocratis Oratio ad Demonicum, Graece, cum Notis. Luciani Gallus cum Notis & Variis Lectionibus. Ejusdem Dialogi Mortuorum, Graece & Latine, cum Notis & Variis Lectionibus trium codicum scriptorum.* edit. 1806. *Idem liber sine Latina versione. Xenophontis Oeconomicus Graece & Francice. Tres Fabularum Scriptores, Aesopus, Phaedrus, Lafontainius. Observationes Literariae in Theocritum & Virgilium. Sophoclis omnia quae supersunt. Demosthe-*

mosthenes, *caet. caet.* *Bucolica Virgilii cum ejus imitationibus Theocriteis*, *& Notis quibus poëta Latinus comparatur cum poëta Graeco. Thucydides caet.* supra memoratus. *Xenophon* 4. *Thucydidis Orationes.* *Notitia caeterorum operum J. B. Gailii*, *veluti Theocritus*, *Bion*, *Moschus*, *Anacreon*, *caet. gratis distribuitur apud Gailium Nepotem — Grammatica ejus Graecà & Radices Graecae venduntur apud Augustinum Delalain*, *typographum & bibliopolam in Via S. Jacobi. N.* 38. Alia etiam habemus ejusdem viri scripta. v. c. *Epistolam ad Schneiderum V. Cl. de Hellenicis Xenophonteis*, quae habet judicium de compluribus locis, ductum ex comparatione sex codicum scriptorum Parisinorum, quorum scripturae singulorum specimina palaeographica tabulis aeneis expressa apponuntur. Est item *Epistola ad Bastium*, virum eruditissimum, de locis quibusdam hujus Epistolae Criticae. *Anacreontis Odae — An.* VII. 4. *Idem opus — An.* VIII, 12: prioris titulo subscriptum est: *Editio magis completa, quam omnes priores:* praeter Fragmenta, Notas, Versionem Latinam & Francicam, sunt Dissertationes *de Thiasis Veterum*, *de Poësi cantatâ & Musicâ*, *de editionibus & versionibus Anacreontis:* quas autem praeterea profitetur titulus, *Odas*

Odas Graecas in Musicam redactas. i. e. *cantu & modis descriptas ab Gosfecio, Cherubinio, aliisque Musicis*, hae à nostro exemplari absunt. Est denique anno MDCCCVIII, tribus particulis constans liber formae 8, Francice scriptus & inscriptus, *Essais, sur l'effet, le sens, la valeur des Désinences Grecques, Latines, Françoises, & sur divers points de Grammaire:* i. e. *De Terminationibus* caet. *Auctore J. B. GAIL Lectore & Professore Imperiali, volumen* 33, *collectionis in forma* 8va: qui & materia & distributione instar est Partis Elementaris Grammaticae Graecae: in cujus explicatione Scriptor Lennepianam rationem & laudat & sequitur: de qua nos supra p. 229 diximus. Et vidimus eum aliquoties memorare aliam suam antea editam, formae 4tae, Grammaticam. Tantum librorum numerum quis non miretur? tantum Graecas Literas amplificandi ardorem quis non laudet, & optet ut suus Scriptori fructus tanti laboris constet?

XIV. *Additamenta Animadversionum in ATHENAEI Deipnosophistas, in quibus multa Athenaei, & plurima aliorum Scriptorum loca tractan-*

ftantur, *auctore* FRIDERICO IACOBS. *Ienae.* MDCCCIX. 8. *pagg.* 399.

Et Iacobsius in iis est, quibus dudum in his chartis locum destinavimus, humanissimus vir, idemque eruditissimus, & de nostris Literis egregie meritus. Qui quum peradolescens a. MDCCLXXXVI, *Epistola Critica ad Heynium V. Cel.* edendâ hanc laudis viam ingressus esset, sic in eâ progressus est, ut aliis deinceps in eodem genere libris scribendis partam laudem confirmaret & augeret. Nam a. MDCCXC, edidit *Animadversiones in Euripidis Tragoedias*, additis *Emendationibus in Stobaeum*; de quo libro, ut egregio ad ingenii acumen & emendandi solertiam, jam tum speravimus ut proxime relaturi essemus, idque diximus in clausula Partis X. Bibliothecae Criticae: & retulissemus sane, nisi hujus scriptionis longa deinceps intermissio spem nostram fefellisset. Interea alia & alia Iacobsii scripta prodierunt: *Emendationes in Epigrammata Anthologiae Graecae* a. MDCCXCIII: tum praecipuum opus, *Anthologia Graeca ex recensione Brunckii, cum Indicibus & Commentariis Iacobsii*: cujus operis ab a. MDCCXCIV ad a. MDCCCIII, duodecim tomos vidimus,

reliquos exspectamus. Secutae sunt *Exercitationes Criticae in Scriptores Veteres*, duobus tomis a. MDCCXCVI & MDCCXCVII: *Observationes in Aeliani Historiam Animalium & Philostrati Vitam Apollonii* a. MDCCCIV. Haec ad nostram notitiam nostrasque in manus venerunt: & suspicamur alia etiam & plura Iacobsii esse scripta, nobis adhuc ignota. Praescripta autem *Additamenta Animadversionum in Athenaeum* referuntur ad editionem Schweighaeuseri, quae a. MDCCC & sequentibus edita est hoc titulo: *Athenaei Naucratitae Deipnosophistarum Libri Quindecim, ex optimis codicibus nunc primum collatis emendavit ac supplevit, nova Latina versione & animadversionibus cum Is. Casauboni aliorumque, tum suis illustravit, commodisque indicibus instruxit Iohannes Schweighaeuser, Argentoratensis, Instituti Scientiarum & Artium Populi Gallo-Franci Socius, Antiqq. Litt. in Schola Argentoratensi Prof. Argentorati in Libraria Bipontina. 8. mai:* compluribus tomis. Huic editioni censendae in Ephemeridibus Literariis olim Ienensibus, nunc Halensibus a. MDCCCIV & MDCCCV, has Animadversiones prodiderat: nunc autem easdem multis partibus auctas correctasque singulari hoc libro separatim edidit: quae difficile dictu est quantam copiam emendationum doctissimarum, &

& elegantis de interiore Graeca consuetudine & ratione observationis, contineant. Et quando eodem tempore haec nova Athenaei editio à Germanis Graecel doctissimis, in Lipsiensibus, Ienensibus, & aliis Ephemeridibus lustrata tractataque est; vehementer optavimus, ut haec tota materia item separatim ederetur, aut exemplaribus Schweighaeuserianis adjiceretur; quo magis intelligeremus operaene pretium & ipsi ea editione recensenda facturi essemus. Nam nos olim, nondum factis melioribus editionibus, Athenaeum, Stobaeum, aliosque similes Scriptores legimus & excerpsimus, adhibita varietate lectionis ex compluribus scriptis codicibus petitae, multasque nostra conjectura natas, ut nobis videbamur, probabiles correctiones interpretationesque annotavimus. Et in aliis quidem Scriptoribus posteros editores non omnino supervacaneam nostram operam reddidisse deprehendimus. In Athenaeo autem quum res majore & editoris apparatu & censorum facultate gesta sit, veremur ne nostra nobis observata pleraque omnia ab illis praerepta sint. Iam eruditissimus Iacobsius multa primus acute vidit, quaedam tamen nostra aut intacta reliquit, aut ita attigit, ut nobis non tota occupaverit. Quare de Athenaeo, ut de aliis Scriptoribus, alias referre nobis integram liberumque servamus.

 XV.

XV. Sed ecce tantus nobis adfluit librorum numerus relationem item sibi debitam poscentium, ut paene nostrae ipsi Philomathiae obliviscamur: cujus superiori libro tribuenda est quaedam augendi corrigendique animadversio. MVSONII duas Dissertationes relegens, duo animadverti relicta esse menda. Alterum est operarum, in Diss. prioris fine p. 163. Φιλοσοφία καλοκαγαθία ἐστὶν ἐπιτήδευσις, ubi legendum Φ. καλοκαγαθίας ἐ. ἐπ. Alterum vidi in scripto exemplo item esse, Diss. secunda p. 164, ἐπιστήμη δὲ περὶ βίον οὐχ ἑτέρα τις ἢ Φιλοσοφία καὶ ὁ Φιλόσοφος. Ὡς γὰρ ἔλεγε Σωκράτης, τοῦτο διατελεῖ σκοπῶν, κ. τ. λ. sic autem emendandum — ἢ Φιλοσοφία. Καὶ ὁ Φιλόσοφος, ὥσπερ ἔλεγε Σωκράτης, τοῦτο διατελεῖ σκοπῶν, κ. τ. λ. Vtrumque sibi quoque observatum esse, doctiores aliquot mei me discipuli monuerunt. Postremum illud ita etiam correxit E. H. Eldikius, unus omnium nostra aetate Graece doctissimus, & publico docendi honore & emolumento, quamvis carens, dignissimus: qui & alias mihi earumdem Dissertationum emendationes impertivit, quarum quas videretur, promerem. Sunt igitur hae: p. 161, κακὸν ταυτὸν ἀμφοῖν, conjicitur κοινὸν τ. α: p. 162, Ἔστι τοίνυν πλεονεξίαν μὲν Φεύγειν — corrigitur, Ἔτι τ. πλ. μ. Φ. Et quando quae displicuerunt tanto viro, aliis etiam

etiam displicere posſunt, dicamus etiam de duabus conjecturis noſtro quidem judicio non probatis. Altera eſt p. 162, τεχνίτου τινὸς ἐχόμενον, tentatur τεχνικοῦ τ. ἐ: atqui vulgatum eſt Atticum: ſic ὅσα διδασκάλων ἔχεται, *quae à magiſtris pendent*, i. e. *quae docentur à magiſtris*: apud Platonem & Aeſchinem Socraticum, quorum loca in Indice ad hunc dedit Fiſcherus. Altera p. 165: εἴπερ εἴη τὸ ἴσον φιλόσοφον· retinendum ἴσον, *ſi aequalitas convenit philoſophiae:* in hanc rem multa Valckenarius ad Euripidis Phoeniſſ. 541.

XVI. Quum deſideratisſimi Sanctocrucii *Memoriam* ſcribebamus, dudum fruſtra exſpectaveramus aliquam materiae accesſionem à Larchero noſtro nobis impertiendam: quae, *Memoriâ* noſtrâ demum editâ, ad nos venit: ſero quidem: nec tamen mittentis cunctatione, qui mature eam dederat: ſed adferentis retardato adventu. Adjecta erat *Notitia* Silveſtri Sacyi: quam ipſius humanitate acceptam jam ad ſcriptionis noſtrae uſum adhibueramus. Nunc, quae ad hanc ſupplendam pertinent, ex Larcheri literis, Latine reddita apponamus: „ Gratum mihi feceris, ſi aliquid ſcripto mandaveris in laudem Sanctocrucii noſtri. Et hoc tuo officio plane dignus eſt, qui te multum amavit. Aegrotantem inviſi fere quotidie: & diuturnus fuit morbus ab exitu Octo-

bris a. MDCCCVIII ad d. XI Martii MDCCCIX: & tu nobis eras unum è jucundissimis sermonum argumentis; neque ille de te loquebatur sine interiore animi motu; ut facile appareret, quam erga te sincere affectus esset. Principio morbus nil nisi stranguria, nullo cum vitae periculo, esse videbatur. At incidente bis deinceps cruditate, secuta est febris continua, & malum ad obitum usque invaluit. Quod autem in Notitiâ Sacyanâ facta est mentio ejus uxoris, digna sane est de qua plura cognoscantur. Est profecto foemina multi ingenii, animi optimi, fortis, constantis: singularis in consuetudine ac sermone amoenitatis: nec vultu & habitu gratiae expers. Haec furiosis civibus strictos gladios sibi intentantibus, ut maritum ipsis demonstraret, imperterrita mansit, maritumque servavit. Hac uxore Sanctocrucius noster felix futurus erat, nisi fatalis Regni Francici conversio ejus res fortunasque afflixisset. Duo filii adolescentes, praefecti militares, initio tumultus, civili ferro trucidati. Unica filia, postea viro nupta biennio ante patrem mortua, compluribus relictis natis; ex quibus unam neptim parvulam secum domi alebat Sanctocrucia, eamdemque tredecim annorum egregiae spei puellam, altero post mariti obitum mense, morte sibi ereptam vidua amisit. Atque illis omnibus in calamitatibus, carissimorumque capitum amis-

sioni-

ſionibus, foemina virilem conſtantiam retinuit: quam ipſe praeſens & antea ſaepius miratus ſum, & poſtremum eam ſalutans pridie quam Pariſiis domum profectura esſet. Neque hoc reticendum eſt, eam esſe poſtremam propaginem inclytae nobilitate familiae Delbenae (*Delbéne*), origine Florentina; ex qua hujus majores primum comites Catharinae Mediceae nubentis Henrico II, Regi, in Galliam venerunt: quorum poſteri deinde ſub noſtris Regibus, complures cum imperiis exercituum, tum amplisſimis Archiepiscopatûs & Episcopatûs ſacerdotiis, inclaruerunt." Hactenus Larcherus. Alia, recens edito lectoque ſibi priore Philomathiae Libro, me monuit doctisſimus adoleſcens G. L. Waſſenarius, is, de quo dixi in Addendis ad Phaedonem p. 337. „ Sanctocrucii *Animadverſiones ad Vibium Sequeſtrem* prodierunt a. MDCCLXXVIII: liber *De Coloniis* a. MDCCLXXIX. Eſt etiam *Commentatio de Cyropaedia Xenophontea* in editione J. G. Schneideri: tum in Barthelemyi Anacharſide, Tomo IX, Tabula *Hominum Illuſtrium:* denique *Refutatio Paradoxi Literarii F. A. Wolfii, V. Cel. de Homeri Poëmatibus: Pariſiis* 8. *a. MDCCXCVIII*, quam ipſe Wolfius memoravit in Praefatione Iliadis a. MDCCCIV. 8. min. Lipſ. ap. Goeſchenium editae."

XVII. Et quando literae ab optimo Larchero ad nos datae plura etiam habent, non injucunda fcitu lectoribus noftris futura; age, haec quoque referamus: „ Quod quaeris quomodo valeam & quid agam; ita valeo, ut valere optime poteft homo octoginta & quatuor annos natus. Hoc etiam fcito: me Doctorem Artium appellatum in recens conftituta Vniverfitate Imperiali: hoc tamen te moneo, multum differre inter *doctum* & *doctorem*, ac posfe aliquem alterum fine altero esfe; fi dubitas, me refpice. Idem ego eodem tempore Profesfor Graecarum Literarum in eadem Vniverfitate factus fum: & quandoquidem ipfe hanc provinciam adminiftrare non posfum, datus mihi eft, qui quafi pro Profesfore eam adminiftret, *Supplentem* vocant. Is eft Boisfonadius, cujus in hoc genere Literarum fcientiam cognovifti. Recitavi in collegio Inftituti, immo pro me recitarunt alii, Commentationem, in qua mihi propofitum erat demonftrare, errasfe eos, qui perhibuerunt *Callifthenem Ariftoteli Babylone mifisfe Obfervationes Chaldaeorum Aftronomicas, inde ab anno* 1903 *ante Alexandrum notari coeptas*, ut, Porphyrio auctore, prodit Simplicius in Commentario ad Ariftotelem De Coelo Lib II. p. 123, a, edit. Aldin, aut, fi miferit Callifthenes tales Obfervationes, earum initium non antiquius potuisfe esfe

initio

initio Aerae Nabonasſaris, quod incidit in annum 747 ante noſtram Aeram. Haec me ſcriptio impulit, ut ſaepius legerem Ptolemaei μεγάλην σύνταξιν· quam me antea, tum quum Herodotum meum commentabar, legisſe vellem; ita enim disputatio mea firmior locupletiorque futura erat. Nam etſi, vel non adhibito Ptolemaeo, noſtra vel potius Herodoti ſententia cum Obſervationibus illis Aſtronomicis conſentit: poterant certius etiam definiri anni Cambyſis, Darii, Xerxis. Haec ſcriptio, licet fortasſe non niſi deliratio ſit, ſolito me magis fatigavit; ut jam fere me taedium harum commentationum capiat. Strabonis a Gosſellino & Corayo nuper Volumen II. editum eſt. Coureſius (*Courier*) autem Florentiae reperit codicem ſcriptum Longi Paſtoralium vulgatis exemplis locupletiorem, quem edere conſtituit. Vale; &, ut ſoles, mutuo me fac ames."

XVIII. Quo ſaepius autem priora noſtra ipſi ſcripta evolvimus & inſpicimus, eo plures in iis locos animadvertimus aut locupletandos aut corrigendos. Et in corrigendis quidem magna pars ſunt ſcripturae errores orti ex feſtinatione vel ſcribentis, vel deſcribentis, vel ſpeciminum typographicorum correctoris: quorum errorum antea pleroſque ſilentio praetermittere ſolebamus,

mus, quod ejusmodi esfent, ut legens quisque eos animadvertere posfet. Nunc quum genus hominum exftiterit tam invidum & malevolum erga nos, quam Literarum imperitum, laureolam in muftaceo quaerentium, in hujusmodi locos involantium, in iisque exfultantium; faciendum nobis vifum eft, ut peccandi materiam iis praeciderenus, mendaque ifta, quoad ejus fieri posfet, ipfi emendaremus. Et prioribus quidem noftris fcriptis alibi aut alias locum dabimus; poftrema vero, in primis Bibliothecam Criticam & Philomathiam nunc fpectemus: &, quae quidem, poft illius *Curas Pofteriores*, & hujus *Secundum Librum* hactenus defcriptum, obfervavimus, promamus.

BIBLIOTH. CRIT. PART. VII, p. 57: Demofthenis Olynth. III, p. 14, B: *τί ἄν τις εἰπεῖν ἔχοι; τὰς ἐπάλξεις — καὶ κρήνας, καὶ λήρους.* & haec verba, & obfervationem appofitionis *καὶ λήρους* prodidit Toupius ad Longini Fragm. VIII p. 130: *σεμνότερα εἰρήκασι περὶ αὐτῶν, καὶ οὐκ ἀναθυμιάσεις, οὐδ' ἀέρας, οὐδὲ πνεύματα· οὐδὲ λήρους·* Sio Dio Chryf. Or. XXXII, p. 362, I: — *εἴσεισι θαυματοποιὸς, ἢ λῆρος τοιοῦτος ἕτερος;* ubi, quod vulgo legitur *ἢ* ante *τοιοῦτος*, delendum effe recte monuit Reiskius in editione fua T. I. p. 656. Similiter The-

Themiſtius Or. VI, p. 73, D: οὐ χρυσοῦς ἀετὸς, οὐδὲ γράμματα πολυτίμητα, οὐδὲ φλήναφοι. —

PART. IX, p. 18: Euripideum, τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου εἶναι θεόν, iterum animadvertimus P. XII, p. 68, & nunc rurſus animadvertendum. Huc enim pertinet Dio Chryſ. Or. IV, p. 71, D: — οὐκ εἰσὶν ἔξωθεν τῶν ἀνθρώπων οἱ πονηροὶ καὶ ἀγαθοὶ δαίμονες, οἱ τὰς συμφορὰς καὶ τὰς εὐτυχίας φέροντες αὐτοῖς· ὁ δὲ ἴδιος ἑκάστου νοῦς, οὗτός ἐστι δαίμων τοῦ ἔχοντος ἀνδρός. Cicero de Leg. I, 22: *Nam qui ſe ipſe norit, — aliquid ſentiet ſe habere divinum, ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod, dedicatum putabit: tantoque munere Deorum ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet.*

PART. IX, p. 47: Hic uſus verbi ἐπιτειχίζειν exſtat & alibi: v. c. apud Plutarchum Alcibiad. p. 203, A. Lucianum Nigrino p. 62, ubi alia notavit T. Hemſterhuſius; & Dukerus ad Thucydidem I, 122.

PART. IX, p. 56: γένεσιν, καὶ τροφὴν, καὶ παιδείαν· De trium harum rerum conjunctione diximus etiam in Animadverſionibus ad Plutarchum De Educatione Puerorum p 2, A; ubi quartam eis ἀγωγὴν adjungi monuimus. Similem conjunctionem trium illorum verborum fecit Plato Epinomide p. 697, G: τὸ γίγνεσθαι καὶ

καὶ ἔτι τὸ τρέφεσθαι καὶ παιδεύεσθαι. Arrianus in Bithynicis, cujus Excerptum dedit Photius Cod. LXXXIII: Νικομήδειον γάρ τι τὸ γένος αὐτοῦ ἐν ταύτῃ τῇ συγγραφῇ διορίζει, ἐν αὐτῇ τε γεννηθῆναι καὶ τραφῆναι καὶ παιδευθῆναι. — Nominum conjunctio est aliis locis apud Platonem, v. c. Leg. VIII, p. 626, C: παίδων δὴ γένεσιν μετὰ τοὺς γάμους θῶμεν, καὶ μετὰ γένεσιν, τροφὴν καὶ παιδείαν. VIII, p. 648, D: περὶ γάμους ἅμα καὶ γενέσεις παίδων καὶ τροφὰς ἔτι δὲ καὶ παιδείας. — XI, p. 678, A: 680, G.

PART. IX, p. 104. Quae à nobis, & à T. Hemsterhusio ad Lucian. T. I, p. 256, de verbo ἀποσπᾷν, *recedere*, notata sunt, augeantur duobus locis Aeliani Nat. Anim. VI, 4: πόῤῥωτάτω ἑαυτοὺς ἀποσπάσαντες τῷ δρόμῳ. IX, 25: πολὺ ἀποσπᾷ.

PART. X, p. 68: Nomina κριτὴς & δικαστὴς igitur illâ nobis notatâ significatione vel conjunguntur, vel disjunguntur, vel promiscue ponuntur. Hujusmodi est alius locus Xenophontis Cyropaed. edit. Steph. p. 7, l. 38, sequ. in Selectis nostris p. 131. Plutarchi Cicerone p. 865, A: 875, C, D: 878, D: Pompejo p. 869, A: Sympofiac. I, 1, p. 616, C: Apophthegm. 178, A: 195, B: 200, D. Platon. Leg. VI, p. 619, G: XII, p. 689, A: Aeschinis Or. Timarch. p. 191, D: ἤδη δὲ πολλῶν πραγμά-

μάτων φημὶ γεγενῆσθαι κριτὰς, ὥσπερ νῦν ὑμεῖς δικασταί. Ctesiphont. p. 302, A: *οἱ δὲ δικασταὶ ἐνίοτε ὧν μέν εἰσὶ κριταὶ ἐπιλανθάνονται, ὧν δὲ οὐκ εἰσὶ δικασταὶ περὶ τούτων ἀναγκάζονται τὴν ψῆφον φέρειν·* quae quadam cum diversitate retulit Sextus Empiricus Avers. Mathemat. II, 40. Eadem est caussa & nominum *δίκη* & *κρίσις*, item Verborum *κρίνειν* & *δικάζειν*: cujus exempla alias ex adversariis promemus.

PART. XI, p. 41: *offerent*, legendum *offerrent*. — P. 99, orationis obliquae in directam conversae exemplum quoque est in Homer. Odyss. A, 40.

PART. XII, p. LX, l. 3: *anno*, legendam *tempore*. — P. 9: Demosthenis hanc sententiam memorat Anonymus MS. Commentator Categoriarum Aristot. p. 23: *ἐπειδὴ, κατὰ τὸν Παιανιέα, πᾶς λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τι νομίζεται καὶ κενὸν, φέρε ἔργῳ προλάβωμεν βιβλίου τῶν κατηγοριῶν τὰ εἰωθότα ζητεῖσθαι ἐπὶ ἑκάστου Ἀριστοτελικοῦ βιβλίου.*

P. 11. Haec Anacoluthiae forma referenda est ad illud genus, de quo diximus Part. XI, p. 99, quod continetur conversione orationis obliquae in directam: in quo item censenda est narratio Athenaei VII, p. 281, B: *φιλήδονον δὲ οἱ ποιηταὶ καὶ τὸν ἀρχαῖον φασὶ γενέσθαι Τάνταλον· ὁ γοῦν τὴν τῶν Ἀτρειδῶν ποιήσας*

κά-

κάθοδον, ἀφικόμενόν αὐτὸν λέγει πρὸς τοὺς θεοὺς καὶ συνδιατρίβοντα ἐξουσίας τυχεῖν παρὰ τοῦ Διὸς αἰτήσασθαι ὅτου ἐπιθυμεῖ· τὸν δὲ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις ἀπλήστως διακείμενον, ὑπὲρ αὐτῶν τε τούτων μνείαν ποιήσασθαι, καὶ τοῦ ζῆν τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς θεοῖς· ἐφ' οἷς ἀγανακτήσαντα τὸν Δία, τὴν μὲν εὐχὴν ἀποτελέσαι διὰ τὴν ὑπόσχεσιν· ὅπως δὲ μηδὲν ἀπολαύσῃ τῶν παρακειμένων, ἀλλὰ διατελῇ ταραττόμενος, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἐξήρτησεν αὐτῷ πέτραν, δι' ὧν οὐ δύναται τῶν παρακειμένων τυχεῖν οὐδενός. Et hic folita consequentia postulabat ἐξαρτῆσαι pro ἐξήρτησεν.

P. 12. Ἀλλ' ἰτέον ἤδη ἐπὶ τὸ πρᾶγμα. Himerius Or. II. p. 390, edit. Wernsdorf. Οὐκοῦν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα ἰτέον ἤδη τῷ λόγῳ.

P. 23. In Horatii loco legendum, correcta operarum menda; Epist. II, 1, fin. — capsa porrectus aperta. Ad hoc argumentum pertinent Philostratus Vit. Soph. II, 21, p. 603, de Proclo Sophista: ἐφοίτα δὲ αὐτῷ καὶ ἀπ' Αἰγύπτου λιβανωτὸς, ἐλέφας, μύρον, βύβλος, βιβλία, καὶ πᾶσα ἡ τοιάδε ἀγορά. Clemens Alexandr. Strom. I, p. 343, A: de infantulo Moyse: ἐκ βίβλου ἐγχωρίου σκεῦός τι ποιησάμενοι, τὸν παῖδα ἐνθέμενοι, ἐκτιθέασι παρὰ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ ἑλώδους ὄντος.

P. 32. Ex eodem, quo Plutarchus, fonte, rem hausit Sallustius in Oratione Caesaris, Catil.

til. LI: *exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui rem publicam eorum tractarent. Hi primo pessimum quemque & omnibus invisum indemnatum necare: ea populus laetari & merito dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos & malos libidinose interficere, caeteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae graves poenas dedit.* Dicam ex Ephoro sumtum esse. Simpliciter haec narravit Xenophon Hellen. II, 3, 8, & Diodorus Sic. XIV, 4, ubi Plutarchi verba p. 998. B. prodita adfert quidem, nec animadvertit Wesselingius: ut item J. Taylorus Vit. Lysiae p. XLIV.

P. 50. Propertii versus, *At non ingenio quaesitum nomen ab aevo Excidet*, perperam legitur, transpositis verbis *nomen quaesitum*.

P. 55. Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων κ. τ. λ. Homericum dictum imitatus est Parmenides; ut notavimus ad Platonis Phaedonem p. 229.

P. 56. Προσουρεῖν sic de Cynicis posuit Julianus Or. VI, p. 182, A: ὥσπερ ἐνίοτε τῶν παιδευτηρίων καὶ τῶν δικαστηρίων οἱ κύνες τοῖς προπυλαίοις προσουροῦσι.

P. 111. Τάχος τῶν λόγων, item intelligitur *brevitas orationis* in Himerii Or. II, p. 390.

PHI-

PHILOMATHIAE LIB. I. In hoc libro praeter corrigenda in fine praefationis posita; alia nobis praetermissa annotavit postea inter legendum auditorum quorumdam nostrorum docta diligentia. Sunt vero haec: P. 10, *imprudcntes*, leg. *imprudentes*. P. 21, *conviciati*, leg. *conviciis petiti*. P. 24, *dicete*, leg. *dicere*. P. 36, XXXV, leg. XXXII. P. 42, *cimscripta*, leg. *circumscripta*. P. 47, *ostendum*, leg. *ostendam*. P. 56, *tradita-demonstrata — oppugnata*, leg. *traditas — demonstratas — oppugnatas*. P. 87, *d. m. m. l.*, leg. *d. m. n. l.* P. 98, *Ibid* „ *ut enim*, leg. *Pag.* 40. „ *ut enim*. P. 102, P. 50: „ *Illam*, leg. *P.* 51. „ *Illam*. P. 111, *Pag.* 63, leg. *Pag.* 64. P. 118, *Homerico*, leg. *Homerica*: P. 119, *Pag.* 79, leg. *Pag.* 80. P. 135, sic lege pro 335. Ibid. principium carminis Latini sic legendum: — *virum Miseresco, quamvis maxime infensum mihi*; prima vox *virum* est antecedentis senarii postrema. P. 143, *diciplina*, leg. *disciplina*. P. 163, καλοκαγαθία, leg. καλοκαγαθίας. P. 179, *res humunos*, leg. *res humanas*. P. 187, *institution*, leg. *institutione*.

PHILOMATHIAE LIB. II. Haec, exceptis duobus vel tribus, ab iisdem sunt monitoribus. In Musonio p. 6, καθικνεῖσθαι τῆς διανοίας τοῦ ἀκούοντος — comparetur Aeschinis Socr. Axioch.

Axioch. p. 731, A, *μόνοις δὲ ἀρκεῖται τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τῆς ψυχῆς*. P. 14, Demosthenis dictum, *τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστι*· expressit Sallustius in Orat. Marii B. Iug. 88: *Nam gerere quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est.* Ubi consulatur Wassius. — P. 35, *B. G. p.* 523, leg. B. G. p. 521. P. 41, *Phoenicis*, leg. *Phoenici.* P. 56, *Isoctatea*, leg. *Isocratea.* Ibid. *habitn*, leg. *habitu.* P. 71, *cum habuisse*, leg. *eum habuisse.* P. 75, *cinqantième*, leg. *cinquantième.* P. 76, *Tomus L. ad*, delendum *ad.* Ibid. *librari*, leg. *librarii.* Ibid. *tnmultuum*, leg. *tumultuum.* P. 77, MDC CII, leg. MDCCCII. P. 82, *cogitionem*, leg. *cognitionem.* P. 92. *magnitudive*, leg. *magnitudine.* P. 96, *exerpta*, leg. *excerpta.* P. 103, *Divion nsi*, leg. *Divionensi.* P. 105, *Foncemagnum Villoisonum*, leg. *Foncemagnum, Villoisonum.* P. 115, *momina*, leg. *nomina.* P. 120, *quaedum*, leg. *quaedam.* P. 121, ΠΕΡΕΝΝΙΑΝΩ-ΕΡΕΝΝΙΑΝΩ, leg. ΠΕΡΕΝΝΙΑΝΟΝ-ΕΡΕΝΝΙΑΝΟΝ. Ibid. ΣΤΡΟΤΑΓΗΣΑΝΤΑ, leg. ΣΤΡΟΤΑΓΗΣΑΝΤΑ. Pag. 122, *supicio*, leg. *suspicio.* P. 123, *agonetheta*, leg. *agonotheta.* P. 125, *tempote*, leg. *tempore.* P. 129, *hom num*, leg *hominum.* P. 134,

 Me-

Metamorphoseum, leg. *Metamorphoseon.* Ibid. *propositum*, leg. *proposito.* P. 165, *versan ur*, leg. *versantur.* P. 168, *Sehola*, leg. *Schola.* P. 189, *posteriorum*, leg. *posterorum.* P. 195, *adversam*, leg. *alteram.* P. 196, *posequi*, leg. *prosequi.* P. 213, *Arfacis*, leg. *Arsacis.* P. 221, *Sectio* I, *de Arid.* leg. *Sectio* II, *De Arid.* P. 225, *otuit*, leg. *potuit.* P. 250, 214 — 289, leg. 254 — 298. P. 269, *Aversf. Mathemat.* leg. *Adversf. Mathemat.*

XIX. Ex illis ad PHAEDONEM nostrum additamentis supra significatis p. 209, nunc unum promamus, quod ad corrigendum nostrum errorem pertinet. Nam Annot. p. 155, poëtae non nominati verba sunt Callimachi, in Fragmentis Bentlei. Edit. Ernest. p. 541, quo jam Ruhnkenius hunc Olympiodori locum attulit: eademque Valckenarius tractavit ad Callimachi Elegiarum Fragm. p. 298. Monuit me item ante repertas nostras schedas eruditissimus noster, saepe nobis laudatus, E. H. Eldikius.

XX. De Commentario Categoriarum Aristotelicarum, qui nuper in nostras manus incidit, quemque supra, & in Annotatione ad Phaedonem, aliquoties laudavimus, alias plura dicemus. Nunc saltem principium exordii apponere placuit; ut viros doctissimos moneamus & rogemus, ut, si forte ejusdem libri aliud exemplar

plar exſtare norint, ejus nobis notitiam impertiant. Sic autem habet: Τῶν Ἀριστοτελικῶν ἀρχόμενοι λόγων, εὐθὺς ἐκ θυρῶν Φίλα τῷ Ἀριστοτέλει διαπραξώμεθα, καὶ τὴν Φίλην αὐτοῦ συντομίαν συνόψει συντομωτάτῃ περιβάλλωμεν. σύνοψις γὰρ καὶ συντομία Φίλαι τῷ Ἀριστοτέλει πυθαγορίῳ κατ' ἀλήθειαν γεγονότι, καὶ (τὴν) τοῦ Πυθαγόρου σιωπὴν εἰς τὴν γείτονα βραχυλογίαν μεταγόντι. κ. τ. λ.

XXI. Quae tria & antea, & noviſſime in Philomathiae Lib. I, pagina ultima, rogavimus, eadem rurſus rogamus.

PHILOMATHIAE LIBER SECUNDUS

EXPLICIT FELICITER.